& conveniſſe, ut dicerent, Paulinam ab Anubi Deo in amA plexus deſiderari: quod & ipſi fecerunt; quare illa læta quòd digna Deo haberetur; ex conſenſu mariti ad templum nocte venit, ſed ibi ex ſacerdotum arte Mundus ſub ſpecie Anubis concubuit cum illa. Quod paucis poſt diebus cùm Mundus detexiſſet Paulinæ, effecit, ut illa dolens de pudicitia violata, cum marito conqueſta fuerit apud Imperatorem Tyberium, qui comprehenſos, & confeſſos ſacerdotes, juſſit occidi, & Iſidis ſimulacrum in Tyberim demergi.

Simile quoddam exemplum refert *Euſebius l.11. hiſt. Eccl. c.25.* Alexandriæ contigiſſe, ubi Sacerdos nomine Tyrannus, quaſi ex reſponſo numinis, adorantibus in templo Nobilibus quibuſque, & primariis viris, quorum ſibi matronæ ad libidinem placuiſſent, dicebat Saturnum præcepiſſe, ut uxor hujus, vel illius pernoctaret in templo, & quod tum is, qui audierat gaudens, quòd uxor ſua dignatione numinis vocaretur, exornatam comptius, & donariis onuſtam ne repudiaretur, conjugem mittebat ad templum, & ibi in conſpectu omnium concludebatur, & Tyrannus clauſis januis, & traditis clavibus diſcedebat: ſed facto noctis ſilentio per occultos meatus, & ſubterraneos aditus, intra ipſum Saturni ſimulacrum patulis irrepebat cavernis; nam erat ſimulachrum à tergo concaB vum, & parieti diligenter annexum, unde vocem per ſimulachrum æris concavi intonabat, ita ut pavore, & gaudio infelix mulier trepidaret, poſteà loquutus, quæ ad irritamentum libidinis pertinent, & alia, arte quadam linteis obductis repentè lumina extinguebantur univerſa, tum deſcendens obſtupefactæ, ac conſternatæ mulierculæ ſtuprum inferebat. Detectus autem tandem à quadam pudica muliere, quæ ejus vocem cognovit: quocirca ad tormenta deductus Tyrannus, faſſus rem omnem aperuit.

Mahometes quamvis ipſe prohibuiſſet adulterium, tamen permiſſum ſibi fuiſſe à Deo, ad alienas uxores accedere dixit, ut generaret prophetas, & viros fortes, ut ſcribit *S. Antoninus Florent. Archiep. in 4. part. ſummæ Theologiæ tit.11.c.6.§.1.*

Romulus ut raperet Sabinas, ludos ex induſtria equeſtres paravit Neptuno, Conſualia vocant, & indici finitimis ſpectaculum juſſit; ubi verò ſpectaculi tempus venit, ex compoſito orta vis, ſignoque dato juventus Romana ad rapiendas virgines diſcurrit, & magna pars, fortè ut in quem præque inciderat, rapta &c. ut ait *Livius in 1. Plut. in vita Rom. Oroſ. in 1. c.4. Plin. l.1.* Et ita, ut ait *Livius*, parentes mœC ſti virginum turbato per metum ludicro profugerunt, incuſantes violati hoſpitii fœdus, Deumque Conſum Neptunum, cujus ad ſolemne, ludoſque per fas, ac fidem decepti, venerant.

Notat *Lyranus in c.23. l.4. Regum*, quòd mulieres ſub colore honoris idoli ſe proſtituebant, & in tali luxuria credebant ſacerdotibus.

Rofredus Beneventanus in libellis canonicis, ſub Tit. de decimis recenſet ſub prætextu ſolvendarum decimarum, inductam fuiſſe mulierem à quodam Sacerdote, ut de conjunctionibus cum marito habitis ei, daret decimas. Quod & ſcribit *Guilliel. Benedic. in c. Raynutius, ad verba cuidam Petro tradiderunt num.45. & 47. de teſtament.*

Scribit & *Philippus Bergomas l.13. ſupplementi Chron.* Fraticellos quoſdam hæreticos decepiſſe ſuo ritu, & ſub ſpecie religionis mulieres ad commixtionem.

Circa annum 1308. orta hæreſis nova apud Novarienſes per Dulcinum, & Margueritam inventa, qua mares, & fœminæ ſimul habitantes in omnem libidinem prolabebantur, D & Anabaptiſtarum more, ſenſerunt, nihil habendum proprium, non eſſe adminiſtrandas res publicas Chriſtianis, & ſimilia abſurda, ut refertur *in Summa conciliorum, & à Platina.*

Eodem tempore fuerunt Begardi, & Beguinæ, hæretici in Germania, qui prætextu ſcripturæ ſanctæ, & religionis, inter cæteros errores illud aſſerebant, mulieres quidem oſculari, cum ad hoc natura non inclinet, eſſe peccatum mortale, actum autem carnalem, cùm ad hoc natura inclinet, non eſſe peccatum, maximè cùm tentatur exercens; quorum hæreſes damnatæ in Concilio Viennenſi. Et hæc quoque *in Clement.3. de hæret. in Clem.*

Sub Clemente etiam V. in Concilio Viennenſi, *in Clem.1. de relig. dom.* idem ſtatus Beguinarum damnatus, quæ quibuſdam adhærebat religioſis ad quos ſpecialiter trahebatur affectio. Et ſic *Hoſtienſis ad c. fraternitatis de frigidis, & malef. & ad c. monaſteria, de vita & honeſt. cleric.* cavendum eſſe à Beguinis admonet.

Fuerunt Adamitæ hæretici, auctore Picardo Gallo, in Bohemia orti, qui nudi, ut dicitur, cum fœminis conveniebant, E ut ait *Æneas Sylvius c. 41.* meminit & de aliis Adamitis, qui nudi incedebant, & conveniebant, *cap.39. quidam autem 34.q.3.*

Nicolaitæ quoque temporibus Apoſtolorum, à Nicolao uno ex 7. Diaconis ab Apoſtolis creatis, orti, ritus Gentilium retinentes, promiſcuos docebant concubitus. *Teſte Irenæo l.1. c.27. & Epiphan. l.1. to.2. hæreſ.25.*

Juſſit Deus *D. Joanni Apoc. cap.2. verſ.14.* ſcribere Angelo, ſeu Epiſcopo Pergami Eccleſiæ. Habeo adversùs te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac, mittere ſcandalum coram filiis Iſrael, edere, & fornicari, ita habes & tu, doctrinam tenentes Nicolaitarum.

Comessationes.

Olim in Eccleſia, Apoſtolorum tempore, conventus nocturni fiebant, & in commune epulabantur, eaque convivia tanquam amoris convivia ἀγαπαὶ dicebantur, de quibus lege particularem Locum in hoc opere. Cæterùm poſteà, quòd Eccleſiæ Corinthiorum confuſionem afferrent, ibidem fuerunt reprehenſa à D. Paulo 1. *ad Corinth.* 11. Rurſum longum poſt tempus Concilium Laodicenum prohibuit F cap.2. in Eccleſiis fieri. Et Concilium Carthaginenſe III. *c.30. in c. non oportet in Baſilicis, & ſeq. nulli Epiſcopi 42. diſtinct. & D. Aug. ad Aurelium Epiſcopum 64. & in c. comeſſationes 44. diſtinct.* reprehendit etiam comeſſationes illicitas prætextu religionis.

Refert & *Joſeph. l.14* ἀρχαιολογίας, Cajum Cæſarem edicto prohibuiſſe in urbe, omnia Collegia, excepto Judæorum καὶ οὐκ ἐκώλυσεν ὅτι χρήματα συνεισφέρειν, ὅτε συνδεῖπνα ποιεῖν. Et fuiſſe comeſſationes has cauſſas diſſolvendorum Collegiorum, refert *Plin. l.1. Epiſt. Dio. in Claudio. Ammianus Marc. lib.21. Lamprid. in Alex. Severo.*

Prohibuit etiam Franciſcus Lejus nominis rex Galliarum, fratriarum comeſſationes anno Domini 1539. Siquidem ut etiam de collegiis Alexandrinorum Philo ad Flaccum, in his, οὐδὲν ὑγιὲς, ἀλλὰ ἄκρατος καὶ μέθη καὶ παροινίαι. Et ſæpè obſervatum eſt, quæſtores ſacrarum pecuniarum fratriarum, expendiſſe partem in conviviis, partem ſibi, in proprioſque uſus converſam retinuiſſe, quibus penè Catholicorum fervorem extinctum cognovimus, quodque dedit anſam Franciſco I. de tollendis artificum confratriis, & ſocietatibus anno 1539. neque mirum, ſi profani abutantur ali- G quando oblationibus, cum & in lege antiqua filii Heli ſacerdotis etiam abuſi fuerint eſcis ſacrificiorum oblatorum, qua ratione etiam ſublatum fuit ſacerdotium à domo Heli.

Quemadmodum & Collegium ſacerdotum Belis Idolis in Babylonia, detecta illorum fraude. Perſuaſerant enim Regi idolum Bel edere, & bibere appoſita, & proindè extorſerant à Rege in cibum ejus per ſingulos dies ſimilæ artabas, 12. oves, 40. vini amphoras: ſex ſacerdotes autem noctu per oſtiolum ingrediebantur in templum clam, & ea appoſita cum uxoribus, & liberis edebant, donec dolus detectus fuit per Danielem. *Daniel. c.14.*

De varia circa Religionem, ejuſque cultum Impietate. Videatur Locus de Impietate Titulo particulari

LIBERÆ RELIGIONIS:

De qua hodie omnes Novatores gloriantur,
Idæa Verſibus expreſſa.

Libera Relligio *quid ſit, ſi noſſe laboras?* H
Edicam quid ſit Libeaa Relligio.
Libera Relligio *eſt audendi cuncta poteſtas:*
Vim vult, atque nefas Libera Relligio.
Libera Relligio *nec habet quod habere putatur,*
Nam pietate caret Libera Relligio.
Libera Relligio *Chriſtum, Chriſtique refellit*
Dogmata: Lucis inops Libera Relligio.
Libera Relligio *veterum conſulta, Patrumque*
Spernere ſcripta ſolet Libera Relligio.
Libera Relligio *proprii figmenta cerebri*
Perſequitur, fallit Libera Relligio.
Libera Relligio *ventris, Geniique miniſtra eſt:*
Deſervit Veneri Libera Relligio.
Libera Relligio *culpas docet eſſe Tonantis*
Verum opus: inſanit Libera Relligio.
Libera Relligio *Metanææ inimica, ſceluſque*
Accumulat ſceleri Libera Relligio.
Libera

Libera Relligio *Meriti vim tollit, & aufert*
A *Præmia Juſtitiæ* Libera Relligio.
Libera Relligio *dum Libertatis amore*
Cuncta facit, vincta eſt Liberra Relligio.
Libera Relligio *Arbitrii nos Jure relaxat,*
Vultque pares brutis Libera Relligio.
Libera Relligio *fide ſola vivere Juſtos*
Aſſerit; odit Opus Libera Relligio.
Libera Relligio *clauſtralia vincula ſolvit*
Votaque caſſa facit Libera Relligio.
Libera Relligio *laudat conjugia plura,*
Suadet & Inceſtus Libera Relligio.
Libera Relligio *Purgantem ſupprimit Ignem,*
Proſcribit polo Libera Relligio.
Libera Relligio *nova nam ſtruit Atria, dudum*
Queis claudat functos Libera Relligio.
Libera Relligio *nullis altaria donis*
Ornat: nuda manet Libera Relligio
Libera Relligio *Chriſti pro carne, figuram*
Ceu Recutita capit Libera Relligio.
Libera Relligio *Divum ſimulachra, preceſque*
B *Spernit: Amore caret* Libera Relligio.
Libera Relligio *ſacrorum impunè miniſtros,*
Sacrificoſque necat Libera Relligio.
Libera Relligio *ſacratas deſtruit Ædes,*
Subvertitque Aras Libera Relligio.
Libera Relligio *pellit Regeſque, Duceſque,*
Et privat terris Libera Relligio.
Libera Relligio *diſſolvit jura, legeſque,*
Omnia peſſundat Libera Relligio.
Libera Relligio *bene condita tollere gaudet,*
Dum ſibi ſola ſapit Libera Relligio.
Libera Relligio *tot habet documenta, magiſtros*
Quot ſibi devincit Libera Relligio.
Libera Relligio *pietatem fraude profanat,*
Juſtitiam fugat Libera Relligio.
Libera Relligio *langueſcit pace, vigetque*
Diſſidiis populi Libera Relligio.
Libera Relligio *quia rapto vivere gaudet,*
Armaque, vimque parat Libera Relligio.
Libera Relligio *valvis contendit apertis*
C *Ad Barathrum: infelix* Libera Relligio.
Libera Relligio *tibi non ſubrepat: ad Orcum*
Ne trahat adſtrictum Libera Relligio.

*RELIGIO.

Ut eſt ſtatus hominis ad perfectionem tendentis, à qua dicuntur Religioſi, qui & Regulares. Item Ordines Religioſorum.

Religioſus. Religio.

Definitio, et Etymologia.

Religioſus nomen ſortitur à Religionis profeſſione. Dicitur autem hoc loco Religio, peculiaris quædam vitæ formula, quam homo libera ſua voluntate profitetur, & per quam divino obſequio mancipatur. Includit verò hæc omnia ad quæ obligat Chriſtiana Religio, & inſuper quædam ad perfectionem maximè facientia. Unde & Religioſi Monachi dicti communiter à vita indiviſibili, & ſingulari, quæ in Deifor- D mem monadem colliguntur, ut ait *Dionyſius de Eccl. Hier. c.6.*

Nomen tamen Monachi magis ſpeciale eſt: vultque D. Hieronymus illud propriè convenire Eremitis, qui ſoli, & ſeparati turba habitabant, quamvis illud nomen aliquot ante ſæculis inditum fuerit aliis, priuſquam eſſent cogniti Eremitæ. Vide *Locum de Monachis.*

Igitur Monachi nomen propriè convenit illis, qui vitæ contemplativæ dediti ſunt. Alii enim, qui in populo verſantur, & Epiſcoporum, Paſtorumque coopitulatores ſunt in concionibus, & Sacramentorum adminiſtratione, quales ſunt ii, quos Mendicantes dicimus, & Præmonſtratenſes, non Monachi, ſed Regulares, à certa vivendi norma: vel Religioſi, quòd toti divinis miniſteriis mancipentur, appellantur.

Dicuntur etiam iidem Patres, ab affectu paterno, & officiis quæ in plebem exhibent, neque id nomen, niſi fortaſſis ex inordinato quorundam affectu, de uno aliquo ſingulari ordine Religioſorum dici poteſt, aut debet: ſed de omnibus qui Chriſto filios pariunt per verbi prædicationem: & alia Eccleſiæ miniſteria, idque velut ex inſtitutione. Quomodo Parochi, & Epiſcopi propriiſſimè Patres dicuntur.

Habet autem hæc vivendi formula annexum ſtatum, hoc E eſt conditionem immobilem, ſive firmitatem, per quam alteri nempè Deo, ejuſque obſequio quis obſtringitur. Qualem Statum habere cenſendi non ſunt, qui certis Sodalitatibus nomen ſuum dant. Uti neque illæ, quas nunc communi vocabulo filias ſpirituales, Hiſpanis beatæ; dicimus: nec Beguinæ, quamvis in eodem clauſtro vivant, & perfectionem ſuo etiam modo ſectentur. Neque enim habent conditionem vitæ immobilem, qualem *Status* requirit, & ſtabilem perfectionem.

Videantur nonnulla in Loco de Monachis, & monaſticis

* Ad Religionem requisita.

Ac primum. Tria Vota,

I. Ad Statum Religionis eſſentialiter requiruntur tria vota: Caſtitatis, Paupertatis, & Obedientiæ. Per hæc enim homo perfectè dedicatur Deo, & abdicatur propria voluntate, & libertate. Quomodo olim Nazaræi per votum domino dedicabantur. *Num. c.6.* De his autem Chriſti teſtimonium habemus. Ac primùm de paupertate, Si vis præfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes. *Matt. c.16.* rurſus, Beati pauperes ſpiritu, id eſt, affectu, & electione. De Caſtitate ibidem dicitur: F Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum Dei, qui poteſt capere, capiat. Item D. Paulus. De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do. Beatior erit, ſi ſic permanſerit. 1. *Corinth. c.7.* De obedientia, habes *Matth. c.6.* ubi ſuadetur, ut noſmetipſos abnegemus, (quod fit, dum voluntatem noſtram Superiori ſubiicimus;) ſi Chriſtum ſequi volumus.

Regula.

II. Eſt neceſſaria particularis Regula, ſive inſtitutum, non quidem per ſe, quia ad eſſentiam Religionis non exigitur alia regula, quàm quæ divinis mandatis, ipſiſque votis continetur; ſed per accidens: quia Eccleſia non conſuevit aliter. Statum Religionis approbare, niſi cum tali regula particulari.

Approbatio.

III. Eſt neceſſaria Eccleſiæ approbatio, & votorum admiſſio. Quia abſque hac non eſſet ſtatus ſpiritualis ſuprà communem ſtatum Chriſtianorum. Neque ulla Religio ſine hac approbatione unquam inſtituta fuit. Olim tamen non ſemper à Rom. Pontifice approbatos Religioſorum G ordines conſtat. Nam Religionem SS. Auguſtini, Benedicti, Baſilii, Antonii, ab Epiſcopis admiſſas clarum eſt, quibus tunc illi ſuberant. Nunc tamen poſt Concil. Lateranenſe, Sedi Apoſtolicæ merito ejuſmodi approbatio reſervatur. *Vide c. Religionum.* Et in Conc. Lugdunenſi ſub Gregorio X. *c. unic. de Relig. dom.* Eccleſiaſticæ autem iſtiuſmodi conſtitutionis hæc fuit cauſa. Anno Dom. circiter M.C.LXX. pauperes de Lugduno ordinem quendam inſtituerant, cui multæ tum hæreſes, tum ſuperſtitiones permixtæ fuerant. Quocirca à Lucio III. Alexandri III. ſucceſſore, hæreſeos damnati fuerunt, eorumque ſecta reprobata. *Abb. Uſperg. in Chronico Anni* 1212.

Unde factum, quod SS. Franciſcus, Dominicus, Norbertus, Ignatius, ordinis ſui confirmationem, à ſummo Pontifice deſiderarunt, & impetrarunt. Et quia grave periculum Eccleſia imminebat, dum cuilibet licentia fieret novam Religionem excogitandi, providè in Conc. Lateranen. & poſtmodum in Lugdunenſi ſtatutum, ut nullus deinceps ordo abſque Apoſtolicæ ſedis approbatione admitteretur.

* ORIGO RELIGIONUM IN GENERE. H

Vide Locum de Monachis, & Monachatu.

Variæ de ea opiniones, et errores.

Magdeburgenſes *Centur.4. c.6. col.464.* dicunt, Religiones demum quarto ſæculo incepiſſe: primoſque authores fuiſſe Antonium, Macarium, & ſimiles.

Iidem tradunt, eoſdem Authores caſu dumtaxat, & ut fugerent perſecutiones, non vero ſponte, aut devotionis impulſu, ad ſolitudinem conceſſiſſe.

Addit *Calvinus l.4. Inſtit. c.13. §.10.* etiam Monachos, qui tertio, & quarto ſæculo vixerunt, nihil habuiſſe commune cum noſtris, adeòque Religionum harum inſtitutionem novitiam, & recentem eſſe.

Huc refer ea, quæ ex profeſſo diximus in Loco de Monachis.

* RELIGIONES ANTIQUÆ.

De Enos filio Seth memorat Scriptura *in l. Geneſ. c.4.* quod ipſe cœpit invocare nomen Domini. Unde colligunt Doctores, ab eo inſtitutum peculiarem aliquem, & ſublimiorem, quam eſſet religio vulgi, cultum. Nam ante Enos, certè Adam,

Adam, Abel, & Seth Deum invocaverant: at iſte primus ſolemni ritu, & cæremonia divinum cultum auſpicatus eſt, in exemplum poſterorum: in quo ſanè Religioſi inſtituti figuram fuiſſe probabiliter dici poteſt, ut in quo ad ampliorem perfectionem ſuprà vulgum tendebatur. Ita *Tb. Waldenſ. l.3. doct. fid. art.1. c.1.*

Vota Nazaræorum, qui ſeipſos domino conſecrabant, recenſentur in *l. Num. c.9.* Ad quorum exemplum etiam in Eccleſia, quoſdam ſe totos divino cultui dedere, teſtis eſt *Origen. hom.11. in Levit.*

Etiam & Helizeum, ac filios Prophetarum, ſine uxoribus & poſſeſſionibus vixiſſe, eodem teſtamento veteri docemur. De quibus S. Hieronymus *Epiſt. ad Ruſticum*, quæ ordine IV. filii Prophetarum, quos monachos in veteri Teſtamento legimus, ædificabant ſibi caſulas propè fluenta Jordanis, & turbis urbium derelictis, polenta, & herbis agreſtibus victitabant.

Commendatur apud *Jeremiam c.35.* nepotes Rechab, quod ex mandato patris domos non ædificarent, agros non ſeminarent, vinum non biberent, vitamque duriſſimam ducerent. Eoſque monachorum noſtrorum figuram extitiſſe, ſcribit *S. Hieron. ad Paulinum.*

Joannes Baptiſta inſuper Monachorum, & Eremicolarum pater, & Princeps fuit, ut diſertè tradit *Chryſ. hom.1. in Marcum.* Nam & converſatione, & victu, & veſtitu, ſuprà communem uſum aliorum etiam Deo dicatorum, perfectiorem vitæ normam expreſſit.

Chriſtus dominus inter alia ſalutis monita, eam vivendi formulam præſcripſit, qua homines facilius ad vitam æternam devenirent. Nam adoleſcenti interroganti, quid faciendo vitam æternam conſequeretur, poſtquam præceptorum obſervantiam ad id neceſſariam dixiſſet, & de eorumdem cuſtodia alter non laboret, ut qui omnia à juventute ſervaverat: addit. Si vis perfectus eſſe, vade, & vende, quæ habes, & da pauperibus, *ſequere me, &c.* E quibus verbis juxta B. Auguſtinum perfectio Chriſtianæ Religionis diſcitur.

Tempore Apoſtolorum cœpit Religio multitudine credentium propagari. Ipſorum enim cor erat unum, & anima una, neque quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat: ſed erant illis omnia communia. Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes adferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Et ne quis obſtrepat, nullam hic promiſſionem, aut votum interveniſſe: contrarium ſuadet objurgatio S. Petri facta Ananiæ, & Sapphiræ, quod defraudaſſent de pretio agri venditi. Dicebat enim: Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto, & fraudare de pretio agri; non es mentitus hominibus, ſed Deo. Statimque de utroque mortis ſupplicium ſumptum eſt. Quod certè neque dixiſſet Petrus, neque tam horribili pœna eos afflixiſſet Deus, niſi interpoſita fuiſſet obligatio. Rectè igitur de illo ſæculo Hieronymus ait; Talis primum credentium fuit Eccleſia, quales nunc Monachos eſſe videmus. *Act. c.5.*

Conſulatur Tit. de Monachis, & Monachiſmo. In Littera M.

Testimonia a Veteribus, & Exemplis.

Refert *Hieronymus Platus*, Dionyſium Areopagitam de cœleſti hierarchia ſcribere in hunc modum: Divini præceptores noſtri ſanctis eos nominibus appellare conſueverant: alii cultorum: alii Monachorum à puro Dei famulatu, & cultu, individuaque, & ſingulari vita, &c. Et pergit cæremonias, ac ritus, qui Monachis conſecrandis adhiberi ſolebant, applicare. Et ſtatim poſt tempora Apoſtolorum fuiſſe aliquos Clericos religioſos, probat eleganter *Medina l. 2. de ſacro homi. Hieronym. Platus de bono ſtatu religion. l.2. cap.21.*

Docet S. Anathaſius etiam ante tempora S. Antonii fuiſſe Monachos, uſque in agris, civitatibus vicinis, monaſteria ſua conſtituiſſe: & Antonium, cùm is Monachus fieri vellet, ad ſenem quendam acceſſiſſe, qui ab ineunte ætate monaſticam vitam exercuerat. Ex quo ſequitur, monachorum inſtitutum fuiſſe ante annum trecenteſimum. Immò tempore Antonii adhuc junioris, repertos fuiſſe monachos ſenes.

Damaſus in vita Dionyſii Papæ, ſcribit, hunc ipſum Dionyſium ex Monacho ad Pontificatum aſſumptum fuiſſe. Sedit autem Dionyſius Romæ anno Domini CCLXVI. ut conſtat ex *Chronico Euſebii*. Tertullianus ſcripſit librum de velandis virginibus: & Tertullianum in ſimili argumento ſequitur Cyprianus, ſcribens de habitu virginum.

Philo Judæus, qui Dionyſio Areopagyta antiquior: prolixè deſcribit vitam, & mores monachorum, & ſacrarum virginum, quos in Ægypto S. Marcus Evangeliſta inſtituit. *Lib. de vita contemplat.*

Basilius in præfatione monaſticarum conſtitutionum, de monacho futuro dicit: Nuptias velut compedes fugit, his autem relictis, vitam ſuam Deo conſecrat, & caſtitatem profitetur, Ut neque facultas ipſi ſit converſionis ad nuptias. Simile habet cap.22. de obedientia. Et cap. ult. de paupertate diſſerit.

Etiam uſum cucullarum, ac habitus monaſtici, jejuniorum, ciborum, aliorumque id genus inſtitutorum, tradit Epiphanius, & *Joan. Caſſianus de Inſtitut. Cænobiorum.* Unde conſtat eſſe antiquiſſima. Legatur *Barthol. Caſſanæus in Catal. gloriæ mundi part.4. conſiderat.53.*

* Ordines religiosi in communi.

Ordinum Religioſorum diverſitas. Unde? & quæ?

Formas, & genera Religionum deſumit *S. Thomas Aquinas*, non ex aliquo, quod Religioni eſſentiale eſt, ut ſunt tria vota, & Eccleſiæ approbatio: quia hæc omnibus ſunt communia, adeòque ejuſdem ſunt omnes ſpeciei, ſi eſſentialia ſpectemus; ſed ex fine, ſive particulari functione, ad quem quiſque eſt inſtitutus.

Quidam enim ſunt inſtituti, ut præter obſervantiam votorum eſſentialem inſuper ſe exerceant potiſſimùm in operibus vitæ contemplativæ. Tales ſunt, quos Patres antiquiores inſtituerunt, Antonius, Pacomius, Baſilius, Benedictus, Bruno, Ordo Ciſtercenſium, & Cluniacenſium. Horum cultores propriè Monachi dicuntur, quia vacant ſolitudini, & unitati, quæ Deus eſt, intendunt.

Ad hos etiam referuntur Canonici Regulares, quorum functio principalis eſt, horas canonicas in choro devotè perſolvere.

Alii ſunt inſtituti ad opera vitæ activæ corporalia: v.g. ad redimendos captivos, ſuſcipiendos peregrinos, ſerviendum infirmis, &c. ad quæ ſtudia obeunda ordines particulares inſtituti ſunt. Tales ſunt ii quos Alexianos dicimus, eorumque functio mortuorum corpora in tumulum deferre; & virgines, quæ ſub patrocinio S. Elizabethæ, in Xenodochiis, infirmorum, aut peregrinorum curam habent. Huc etiam referuntur Equites, qui Eccleſiam armis defendunt. Alii denique partim ad contemplationem, partim ad opera vitæ Activæ, ſed ſpiritualia, quæ contemplationem ſupponunt, inſtituti ſunt. Suntque ordines Mendicantium, & Societatis Jeſu, ſive Jeſuitarum, qui inter Mendicantes etiam accenſentur. Ducit tamen *Scotus l.10. de Juſtitia q.5. art.3.* Ordinem illum vix mereri nomen Religionis, qui choro caret. Verùm chorus non facit Religionem. Sumitur ſecundò varietas Religionis ex particularibus mediis, & ritibus, quibus utuntur, vel ad ſua vota melius ſervanda, vel ad functionem illis incumbentem melius obeundam. Hinc inter ordines videmus varietatem in habitu, victu, aliiſque exercitiis. Hinc etiam diverſæ ſunt Regulæ, & conſtitutiones ordinum.

** Diverſitas Religionum antiqua.*

D. Hieronymus, & Joan. Caſſianus in collationibus, agnoſcunt Eremitas, & Cœnobitas, qui vitam contemplativam profiterentur. Item & alios, qui activam. Nempe ut ait *Caſſianus*, curãdis Xenodochiis, alendis pauperibus, ſuſcipiendo miſerorum patrocinio intendebant. Idem quoque fatetur *collat.* 14. fuiſſe alios, qui vitam mixtam ſequerentur, puta, docerent imperitos, & rudes, ad quem finem Divus Auguſtinus fatetur ſe inſtituiſſe clericos Regulares.

** Regularum varietas.*

Quatuor à doctoribus numerantur Regulæ approbatæ, ſub quibus omnes Ordines (Carthuſianis, & Societate Jeſu exceptis, qui ſtatuta ſua habent,) militant. Videlicet Baſilii, Auguſtini, Benedicti, & Franciſci. Singuli tamen ſuæ Regulæ proprias conſtitutiones adjunxerunt, quibus inter ſe diſcrepant, & ab aliis diſcernuntur. De quo *Sylveſter V. Religio 1. q.7.* Sub regula autem S. Baſilii totus Oriens militavit, exceptis quibuſdam Anachoretis, & Eremitis, qui ab Elia, Helizeo, aliiſque Prophetis vivendi normam acceperunt, uti latè deducimus infra, ubi de Ordine Carmelitarum agemus; ſub *Titulo de Ordinibus mendicantibus*. Regula Sancti Auguſtini reliquis præſtantior habetur, ac plures celeberrimas ſub ſe

ſe congregationes continet, latèque ſua ſigna explicat, prout in progreſſu docebimus. Unde & Religioſi, qui illius inſtitutum ſequuntur, primum inter alios locum in hoc opere ſortiti. Qua in re tamen auguſtiſſimo Ordini S. Benedicti nihil præjudicatum voluimus, ac unicuique hic judicium ſuum eſto.

* COMMODA DIVERSARUM RELIGIONUM, ET REGULARUM.

Religioſorum Ordinum adminiculis aliquo modo ſuſtentari Eccleſiæ corpus, aut ſaltem velut ſtellis quibuſdam ornari ſupervacaneum eſt multis in præſenti aſſerere, cùm nulli notum non ſit, in ſubſidium Paſtorum ordinariorum pleroſque illorum inſtitutos, & ab Apoſtolica Sede approbatos fuiſſe. Cur autem divina majeſtas novas ſubinde in Eccleſia familias, novoſque ordines excitet rationes aliquot præter arcana cœleſtis ſapientiæ conſilia, à nonnullis producuntur.

Harum principem locum obtinet, quod cùm adverſarius noſter novas quotidie machinationes, & technas excogitet, quibus Dei vineam peſſundet, novi illi ſint hoſtes excitandi, qui vires ejus atterant, & conatus labefactent, diffuſaque toto orbe venena errorum, & nequitiarum auferant. Adeòque novis impiorum hominum catervis, quos mundi hujus Princeps quotidie ſub ſigna ſua cogit, novi etiam ſatellites Chriſtiani opponantur.

Proxima verò novas condendi familias cauſa eſt, ut veterum familiarum ſtudia, quæ interdum aliquid de primis initiorum ardoribus, ipſa temporis diuturnitate, remittunt, novarum acuantur exemplis. Sæpè enim, quæ latebat incluſa virtus, æmulatione laceſſita, ſe prodit, & quæ nullos nacta eſt æmulos, obſoleſcit. Ut enim, cùm ex quatuor rerum initiis pugna, & certamen exarſit, tum maximè ad diuturnitatem viget incolumitas mundi; ſic inter dicatas Deo familias ubi pia exarſerit æmulatio, puriſſimus Dei cultus, & vera ſanctitas efflorescit.

Accedit, quòd ex iis, quæ oriuntur, familiis, aliæ alias, ad excolendam Domini vineam, facultates, & vires afferunt: nec recens oritur diſciplina, quæ non ſingulari aliquo officii munere Apoſtolicæ famuletur Eccleſiæ, Ut nullam temerè, ac fortuitò, ſed ſumma omnes providentia, ac conſilio inſtitutas, ac procreatas intelligas, ſi cujuſque vires, atque functiones, & quibus quæque ſit inſtructa, & ornata muneribus, animadvertas. Conſentanea quippe deſtinatis uſibus Deus, velut ſua dote ſingulas locupletat, & ornat, ſingularumque operam, ad ſue vineæ culturam, pro tributis cuique muneribus, & donis, adhibet: ideòque certis ætatibus, ac temporibus novas creat.

Verùm ad ipſum docendum ne illa quidem minùs efficax ratio eſt, quòd augendis Religionum Ordinibus ipſa quoque in Eccleſia varietas, quæ fons eſt pulchritudinis omnis, amplificatur, & creſcit. Nam ut in condendo mundo fabricator tanti operis, ut ſuæ in eo veſtigia pulchritudinis adumbraret; & de theſauris ſuis, ex illo immenſitatis Oceano, ſuppeditaret aliquid infinitarum cum rerum varietate diſtinxit: ut ea de cauſa Græci, propter inſignem ſpeciem, κόσμον, Latini, *Lucentem* ſeu *Mundum* nominarint: ſic in Eccleſiæ corpore, quam quotidie ſibi velut unicam ſponſam exquiſitiùs adornat, & novis quodammodo ſplendoribus ad elegantiam expolit, ſpectabilem quandam ex omni ordinum, ac familiarum genere varietatem admiſcet.

Novarum igitur familiarum ortus in fructu divinę ponendus eſt ſapientię, quę & cujuſque privati moribus, ſenſibuſque, & univerſę Eccleſię decori, ac pulchritudini, & cęterarum diſciplinarum bono, atque commodo, & pręſenti temporum neceſſitati, opportunitatique voluit eſſe proſpectum.

* RELIGIONIS INGRESSUS, QUIBUS PERMISSUS, AUT VETITUS.

Primum, & ante omnia, debent qui Religionem ingredi volunt, eſſe ſui juris, neque alteri obſtricti, niſi de illius conſenſu. Igitur eam ingredi non poſſunt Epiſcopi; qui & Eccleſię ſuę tanquam ſponſę, & Pontifici Romano obſtringuntur; niſi Pontifex ſuper eo conſentiat.

II. Conjuges poſt conſummatum matrimonium nequeunt, niſi altero ſciente, & conſentiente.

III. Non poteſt ingredi Religionem, qui virginem ſub promiſſione matrimonii defloravit.

IV. Servi nequeunt hunc ſtatum accipere abſque licentia dominorum.

V. Qui gravatur ære alieno, ſi intra paucos annos poſſet ſatisfacere creditoribus manendo in ſæculo.

VI. Qui reddendis rationibus ſunt obnoxii.

VII. Filius non poteſt ingredi Religionem, parentibus gravi egeſtate laborantibus, quibus ille non niſi manendo in ſæculo poteſt ſuccurrere.

VIII. Neque pueri invitis parentibus, vel tutoribus, ante annos pubertatis. Subſunt enim illis quoad vitæ diſpoſitionem.

IX. Illegitimus admitti non debet ad Religionem, niſi diſpenſetur cum eo.

X. Vigore particularium Conſtitutionum excluduntur à quibuſdam Religionibus, homicidæ, infames, nati ex Judæis, & ſimilis farinæ. Atque hæc obtinere in ordine Capuccinorum, clarum eſt ex Bulla Sixti V. deſuper emanata. Sic ut certa delicta non modo inhabilem reddant delinquentem, aut de illis diffamatum, ad religionem ſuſcipiendam: Verum etiam ad perſeverandum in ſuſcepta. Habetque locum in illis, qui poſt enormes exceſſus, aut graviora crimina, ſive ſeriò, ſive terrore ſuperioris judicii correpti, de habitu, & ordine monaſtico ſuſcipiendo tandem cogitant. Qui etiam peracta profeſſione, quæ alioquin nulliter fit, dimitti poſſunt, dummodo Conſtitutio Sixtina ſervetur: pluresque ita dimiſſos fuiſſe conſtat.

QUI INGRESSI, SIVE Religioſa Inſtituta amplexi?

Episcopi.

Michael Oxites Patriarcha Atticus, ſumma ſede ultrò ceſſit, & in Oxiam inſulam rediit, in qua vitæ inopis, & ſimplicis inſtitutum à puero fuerat amplexus. Ibi in templi veſtibulo proſtratus, cujus monacho collum calcandum præbuit: quod contrà, quàm ſibi expediret, adamatam à primis annis quietem repudiaſſet, nulloque cum fructu thronum ſublimem conſcendiſſet. *Nicetas Choniates lib.11. de rebus Manuelis Comneni Imperatoris.*

Joannis Varadienſis Epiſcopus, demum Olomucenſis, qui ob ſtudia poetices, præcipuè ſub nomine Jani Pannonii innotuit Matthiæ Pannonum regi, eidemque ob ingenii dexteritatem ita carus fuit, ut totum regem penè ſolus poſſidere exiſtimaretur, ardua quæque negotia adminiſtraret, & aulam, ſuperantem ſplendore potentes etiam Principes, aleret religionem Monachorum, quos Bernardinos nominant, ingreſſus eſt Uratiſlaviæ, cœnobium ſui ordinis Jauraviæ extruxit. Coronato è ſententia ſua rege Uladiſlao, cùm ſe ſat patriæ, & humanæ gloriæ ſatisfeciſſe putaſſet, præter omnium opinionem, omiſſa mortalium rerum cura, ad divi Franciſci collegia, invito rege Uladiſlao, Matthiæ ſucceſſore, confugit. *Bonfinius lib.10. Dec.4. & Cureus in Sileſia.*

* Ludovicus Caroli II. Gallorum Regis filius, item primogenitus, omnibus certè animi, & corporis bonis ornatus, cùm obſes in Hiſpania ſalutare religionis conſiliũ cepiſſet, ſed à Franciſcanis ob Regis reſpectum differretur, ipſe ſe voto, nec ſemel, publicè obſtrinxit, deinde cùm anno MCCXCVII. à Bonifacio VIII. Toloſanus ei Archiepiſcopatus deferretur, aſſentiri nunquam voluit, niſi priùs veteris voti compos fieret, ut Franciſcanum habitum ſuſciperet, quem in magna nobilium corona ſuſceptum, nunquam ampliùs depoſuit, ſed potiùs cum habitu, vitæ illius rigorem perpetuò retinuit, Epiſcopales curas religioſis officiis cumulans. *Dauroultius in Catechiſmo hiſtorico, Tom.4.*

Reges, Principes.

Theodosius III. Adramyttenus Imperator, cùm Imperio renunciaſſet poſt duos annos, in cœnobio reliquo vitæ tempore vixit. *Volat. l.23. Anthrop.*

Alexius Crinitus gener Theophili Imperatoris ex filia Maria, ab eo Cæſar appellatus ante ortum Michaelis filii: mox eo nato, in gratiam Theophili Imperio ſe abdicavit, & in monaſterio Anthemii à ſe extructo vitam ſanctiſſimè finivit. *Nicephorus, & Zonaras.*

Michael Paphlago Imperator, cùm jam morti proximus eſſet, ex palatio tranſmigravit in monaſterium, quod juxta mœnia exædificaverat: quod θαυματουργῶν ἀναργύρων, id eſt ſine

ſive pecunia miracula optantium cognominaverat, ibique A ſectis capillis, purpuram, & imperii inſignia exuit, veſtemque indutus humilitatis in Chriſto, ſacriſque initiatus myſteriis, divinam pellem, voluntariæ mortificationis ſignum, præcinxit. Qua de re certior facta regina Zoe, pedes Palatium exiit, maritum acceſſura: ſed portas clauſas reperit. Vetuerat enim eum ad ſe ingredi, nolens in memoriam reducere priſtinum erga eam affectum: ſine pudore eorum, quæ ei oſtenſura erat, ſive quòd omninò ſe pœnitentiæ tradiderat. *Zonaras.*

Michael Curopalates Imper. Leonem Cæſarem à populo ſalutatum audiens, regno ceſſit. Leo regiam ingreſſus, Theophylactum filium, quem regio nomine pater Michael decoraverat, abſciſſis prius genitalibus, cum matre, ac fratribus in inſulam, quæ prima dicitur, exulatum ire juſſit, ubi & Michael Monachus factus, monaſterio ſe abdidit, & ibi vixit: licèt alii poſt annum alterum Imperii habenas regni Leoni conceſſiſſe ſcribant, & ſponte Imperio ſe abdicaſſe, ob cordis maximam mœſtitiam, quam poſt adverſam pugnam incidit: dubium vereretur ne impetum populi in ſe ob rem geſtam malè contra Bulgaros: an quòd præſenti fortunæ iratus privatam vi- B tam agere mallet, quàm cum dedecore imperare. *Cuſpinianus.*

Nicephorus libr. 17. capit. 6. Narrat. Elesbaan Æthiopum regem divina ope victoria parta in bello contra Judæos, magiſtratum ſuum, & dignitatem regiam depoſuiſſe, & ingreſſum eſſe ſacram ædem: ibique raſo capite, & aſpera monachorum lacerna ſumpta, in anguſtam quandam cellam, ubi per omnem vitam adiri non poſſet, ſe abdidiſſe, & ſolo pane, ac oleribus quibuſdam pro cibo, donec vixit, uſum fuiſſe.

Anno 822. Vinigiſus Dux Spoletanus jam ætate confectus rebus ſe abdicans humanis monachum induit, neque ita multò poſt morbo oppreſſus nulla virili ſtirpe relicta migravit è vita. In ejus locum Suppo Brixiæ Comes Dux factus. *Sigonius l. 4. regni Ital.*

Anselmus Dux Forojulienſis, Gilſetrudæ uxoris Aiſtulphi Longobardorum regis frater; ſtudio religionis incenſus monaſterium cum Xenodochio apud Fananum montanum Mutinenſis diœceſeos locum extruxit, atque ibi multorum monachorum abbas præfuit. Ducatus inde Forojulienſis ad Petrum Munichis filium eſt delatus ann. 570. *Sigonius* C *lib. 3. regni Ital.*

Lotharius Imperator pœnitudine peccatorum, ac religione, diſtributa filiis hæreditate, monachum profeſſus eſt: Prunienſe monaſterium, quod ipſe fundaverat, petens, in Lotharingia, ordinis S. Benedicti, quod aliis Pruliacum dicitur. Ille vitam finiit anno 855. cùm regnaſſet annis 16. *Cuſpinianus, & Sigebertus.*

Carolomanus frater Pipini, cùm contra Saxones ſtrenuè pugnaſſet, Romam profectus, à Zacharia Pontifice venia impetrata, in cœnobium à ſe extructum à Soracte monte ad Eccleſiam Sylveſtri ſe abdidit, anno 746. Ubi cùm aſſiduè à nobilibus eum viſitantibus laudaretur, humilitatis ergò clàm ad Caſſinenſe cœnobium venit, & ſe Francum genere, homicidam nefarium eſſe dixit, & pœnitentiæ ergò accedere. Suſcipitur in noviciorum numero, & primùm paſcere juſſus oves, à prædonibus ſpoliatus nudus rediit. Poſteà horto præfectus, bene ſe geſſit. Tertiò culinæ curam gerens, ter à coquo alapis cæditur. Quod indignè ferens comes ejus coquum pilo ferit: & accuſatus, qui vir eſſet Caroloman- D nus indicavit. Cùm Stephanus Pontifex Pipinum regem contra Aiſtulphum Longobardum exarchum Ravennatem incitaret, juſſu ſui abbatis ad Pipinum pro Aiſtulpho miſſus fuit. Verùm Pipinus Carolomani fratris oratione non perſuaſus, eum tanquam deſertorem ſui ordinis in Viennenſe cœnobium deportavit, ubi non multò poſt febri indignabundus interiit, anno 754. *Blondus lib. 1. Decad. 2. Platina. Aimoinus lib. 4. cap. 60. de Francis. Ivo in Chronicis. Regino, Sigonius lib. 3. regni Ital.*

Imbertus Viennenſis Delphinus (hoc enim honoris nomine priſcorum Allobrogum Princeps in ea parte Galliæ vocabatur) vendito Delphinatu Philippo Valeſio VI. Gallorum regi (poſt quem Gallorum regum primogeniti Viennæ Delphini vocari cœperunt) diſtributa in pauperes pecunia, Salutis anno 1349. Lugduni Prædicatorum religioni ſe dicavit. *Fulg. l. 4. c. 1.*

Veremundus primus Hiſpaniarum rex, præcipuus religionis cultor, poſteàquam duos ex uxore filios ſuſcepit, memor E quod ante connubium diaconatus dignitatem accepiſſet: ne parum divinas leges obſervaſſe videretur (adeò penes eum religionis reverentia valuit) conſobrino regno ceſſit, & monaſtico ordini ſe dicavit. *Fulgoſus l. 1. c. 1.*

Bamba Rex Hiſpanorum, anno poſt initum regnum nono, menſeque uno, religionis habitum ſumpſit: in eoque permanſit annis ſeptenis, ad ultimum vitæ diem. *Retius Neapol. l. 1. Regum Hiſpanorum.*

Guarinus Aquitanus monachus Venetias profectus, ut divi Marci corpus viſeret: ad Petri Urſeoli ducis conſpectum ductus eſt. Hic de religione, & pœnitentia non pauca locutus eo animum jam ante ſua ſponte ad id ſpectantem ſenſim perduxit, ut de principatus reſtitutione continuò cogitare cœperit. Ergo ann. 978. noctu ignoto habitu urbe egreſſus, conjuge, nato, neceſſariiſque ejus profectionis ignaris, peregrè in Galliam profectus eſt. Eum magiſtratu, patriaque excedentem Joannes Gradonicus, & Joannes Maurocenus cum Romualdo, & Marino Ravennatibus, ejus conſilii conſciis, ſecuti ſunt. Is procedente tempore, ita religione, & ſanctitate profecit, ut poſt mortem in Aquitania ad D. Michaelis de Cuſſano, ubi reliquum F vitę egit, multis (ut quidam tradunt,) ſit miraculis illuſtratus. *Sab. lib. 2. Enn. 9. & lib. 4. Dec. 1. & Sigonius l. 7. regni Ital.*

Et qui ſucceſſit Vitalis Candianus anno uno ducatus acto, cùm in graviſſimum morbum incidiſſet, atque in dies majore gravaretur, ratus quod erat, fore, ut paulò poſt tabeſcente corpore vita decederet, magiſtratu ſeſe abdicavit, monaſticamque vitam profeſſus in divi Hilarii cœnobium deferri voluit: ubi poſt aliquot dies humanis decedens ſepultus eſt. *Sab. ibidem.* Gulielmus Aquitaniæ dux. ☞ *Vide Monach. Guilermit. priore ſectione.*

Aureus Maſtropetrus dux Venetorum creatus, quadraginta virum ſuffragiis in Seb. Ciani locum (quem ipſe prius ſibi præferri voluerat, cùm Dalmaticum bellum adverſus Jadrenſes geſſiſſet, qui jam quartò à Venetis rebellarant) pacis, bellique artibus illuſtris, veterum principum veſtigia ſecutus, monaſticam vitam in fano divæ Crucis amplexus eſt. *Egnatius l. 4. c. 1. Exemplorum.*

Trebellius Bulgarorum Rex monachus factus. ☞ *Vide Tit. Expeditiones ſacræ Chriſtianorum.*

Inas Occidentalium Saxonum rex, poſt multa pietatis ope- G ra, hortante Ethelburga uxore regnum tradidit Ethelardo conſanguineo ſuo, quem anteà fecerat hæredem: & Romam ſe contulit, ibique monachus effectus brevi obiit; Ethelburga inter monachas coaptata. *Polyd. l. 4.*

Vvinnocus filius Judicaildis, regis Britanniæ minoris profectus ex Anglia cum Ingenoco, Quadano, & Madoco ſociis, venit in Gallias ad Berthinum abbatem, in Sitthin, ejuſque ſuaſu monaſterium condidit apud Mornhold, in confinio Flandrorum, & Mempiſcorum, ejuſque extitit Abbas primus. Obiit anno Chriſti 716. *Jacobus Mejer.*

Marchio quidam monaſterium, regno poſthabito, ingreſſus à monachis porcorum curæ præeſſe juſſus eſt, anno 1126. *Chronicon. Saxoniæ.*

Constantinus III. Scotiæ rex, monachus factus eſt, anno nongenteſimo trigeſimo ſecundo.

Alexander Scotiæ regis filius, ſororis Mechtildis hortatu è patris regno, atque opibus in Galliam ſimul cum ea profugit. Illic ovium religioſi conventus paſtor factus, omnem vitam egit, nulliſque ad mortem notus. *Fulg.* H *l. 4. c. 4.*

Velpo junior, Henrici Leonis Ducis Bavariæ frater, qui Mathildim comitiſſam duxit, cùm prolem non haberet, religioni ſe totum commendavit. Audivit, proavum ſuum, immò atavum Eticonem, Ducem Bavariæ, ſub Ludovico Imperatore I. montem cum duodecim primariis viris introiſſe, ibique in abſtinentia vixiſſe, & finiſſe. Scrutatus eſt ſaltus, & nemora, & omnia montis latibula, invenitque ſepulchra, è quibus oſſa prolata juſſit in Conſtantiam urbem perduci: ibique quòd miraculis claruerant (mortui ſunt enim in Chriſtianiſmo, fugientes Gallicam ſervitutem) eorum memoriæ dedicavit Eccleſiam. *Crantzius l. 5. Saxoniæ cap. 35.*

Strachyquas, Boleslai Sævi Boemorum regis F. Ratiſponam ſtudiorum cauſa ad D. Emeranum miſſus, vitæ monaſticæ ſtudium amplexus, regnum fratri Boleslao reliquit. *Dubravius l. 6.*

Boles-

Boleslaus II. Polonorum Rex monachus factus. *Crom.*

A Alfonsus Rex Neapolitanus Meſſanæ cœnobium intravit.

Isacius Imperator fulmine percuſſus dejectus eſt equo, & humi, ſpumas ex ore edens uti epilepticus devolvebatur. In parvum autem navigium impoſitus ad regiam defertur incolumis: attonitus tamen, & ob afflatum ſeipſum minimè ſentiens, morboque dies aliquot detentus mortem expectabat; & idcirco ad placandum ſibi Deum pœnitentiam amplectitur, & imperatoriam poteſtatem, quam ſibi injuria vendicarat, libens deponit. Hoc certè rectè faciens, & monaſticæ ſe vitæ dedicat, priorem faſtum, ac delicias voluntario contemptu, ac modeſtia corrigens. Et quod magis oſtendit, illum verè totoque ex animo pœnituiſſe eorum, quæ patrarat, Imperatorem delegit, non Joannem ſibi ſanguine conjunctum, non nepotem ex ſorore Theodorum Docianum, non filiæ maritum, neque alium aliquem ſibi conſanguinitate proximum, ſed præſidem Conſtantinum, cui jam inde à ſuis majoribus Ducas cognomen erat, tanquam peritum, & conſcium, & adjutorem, quippe qui optimè B noſſet rationes parandæ copioſæ pecuniæ ad imperii conſervationem. Comnenus autem monaſticas veſtes indutus, cùm parum expectaſſet, ſi quo modo à morbo liberaretur, ubi novit ſe inſanabili morbo captum, adhuc ipſo vexatus, Studii monaſterium ingreditur, multum Æcatherina Auguſta ejus conſilium adjuvante, & pro terrarum imperii amiſſione, cœleſtis gaudii fructum ipſi promittente, cùm annos duos ac menſes tres imperaſſet: & in habitu monaſtico pauciores his ſupervixit, omnem præſtans Præfecto monaſterii obedientiam, ita ut janitor eſſet, & alia miniſteria obiret, propter multam animi æquitatem, & modeſtiam. Caſtiſſimus autem fuiſſe dicitur, & ſupra quam dici poſſit, continens. *Zonar. tom. 3. apud Baron. tom. 11. Annal. anno. 1059.*

* Anno Domini nongenteſimo vigeſimo, Ugo, qui ſimul Provinciæ Rex, idemque Imperator, multis rebus bello præclarè geſtis, multis cumulatus victoriis, ampliſſimo denique cœnobio ædificato, ipſe quoque in eo Chriſti humilitatem complexus, imperatorias opes, ac purpuram cum vili tunica, & ſolitaria cella libentiſſimè commutavit. *Platus lib. 2.* C *de bono ſtatu rel. cap. 26.*

* Anno imperii *Hoſredi* quarto, Coenredus, qui regno Merciorum nobiliſſimè tempore aliquanto præfuerat, nobilius multo ſceptra regni reliquit. Nam venit Romam, ibique attonſus, Pontificatum habente Conſtantino, ac monachus factus, ad limina Apoſtolorum in precibus, jejuniis & eleemoſynis uſque ad diem permanſit ultimum: ſuccedente in regnum Coenredo filio Edilredi, qui ante ipſum Coenredum idem regnum tenebat. Venit autem cum illis & filius Siglier, Regis Orientalium Saxonum, vocabulo Offa, juvenis amantiſſimæ ætatis, & venuſtatis, totique ſuæ genti ad tenenda, ſervandaque regni ſceptra exoptatiſſimus: qui pari ductus devotione mentis, reliquit uxorem, agros, cognatos, & patriam, propter Chriſtum, & propter Evangelium, ut in hac vita centuplum acciperet, & in ſæculo venturo vitam æternam. Et ipſe ergo, ubi ad loca ſancta Romam pervenerunt, attonſus, & in monachico vitam habitu complens, ad viſionem beatorum Apoſtolorum in cœ- D lis diù deſideratam pervenit. *Beda l. 5. hiſt. Anglic. cap. 20.*

* Anno Domini 750. Rachis Longobardorum Rex ad capiendam civitatem Peruſinam, ſicut cætera Pentapolis oppida, vehementi profectus eſt cum indignatione; quam & circundans fortiter expugnabat. Hoc audiens ſanctiſſimus Papa Zacharias IX. continuò ſpe Divina fretus, aſſumptis aliquantis ex ſuo clero optimatibus, quantocius ad eandem pervenit civitatem, impenſiſque eidem Regi pluribus muneribus, atque oppidò eum deprecans, opitulante Domino, obſidionem ipſius civitatis amovit. Cui & ſalutifera prædicans, Deo auctore, valuit animum ejus ad ſpirituale ſtudium inclinare. Poſt aliquantos dies Rex relinquens regalem dignitatem, devotè cum uxore, & filia ad beati Principis Apoſtolorum conjunxit limina. Acceptaque à præfato ſanctiſſimo Papa oratione clericus effectus, monachico indutus eſt habitu cum uxore, & filia. Eadem & Leo Oſtienſis, qui & hæc addit: Moxque ad hoc S. Benedicti monaſterium, eodem Apoſtolico jubente, perveniens, ac ſub regulari magiſterio ſe inſtituendum tradens, poſt aliquot in ſancto religionis propoſito, ac Deo placita converſatione peractos annos, Deo ſpiritum reddidit. Ejus verò uxor Theſia, & filia Ratruda, permittente, & adjuvante ipſo Abbate, monaſterium puellarum, haud longè à E Caſſino, in loco, qui plumbariola dicitur, propriis ſumptibus conſtruxerunt, multis ditantes opibus: ubi ſub magna cautela, ac diſtrictione regulari vitam ducentes, in ſancto propoſito vitam finierunt. Ex *Anaſtaſio Bibliothecario. In Chron. Caſſinenſi cap. 8.*

* Regibus addam & illud: inter quos inſigne certè fuit exemplum Sanctocopii Moraviæ Regis, anno ſalutis ferè DCCCC. qui prælio victus ab Arnulpho Imperatore, regiis inſignibus abjectis, in remotam ſolitudinem profugit, ubi in monte, qui Saubrius dicebatur, quibuſdam monachis, qui illic degebant, repertis, cum iis ſe conjunxit, & monaſtica veſte accepta, aliquot annis eandem vitam in jejuniis, ac vigiliis, cæteraque corporis auſteritate incognitus egit. Denique imminente jam morte, ſocios advocans, aperuit quis eſſet, luculentum adiiciens religioſæ vitæ teſtimonium, ſe, qui & hanc, & regiam expertus eſſet, hanc ſine ulla comparatione illi anteferre. Hic enim, inquit, ſecurè, ac ſine ullo metu ſomnum cepi: hic mihi herbarum radices, & aquæ potus multo jucundior, & ſuavior fuit, F quàm olim regiæ omnes epulæ, quæ videlicet multo felle curarum, & periculorum aſſiduè aſpergebantur. Itaque hoc quicquid fuit temporis, quod vobiſcum duxi, longè mihi felicius viſum eſt, quàm cùm olim regnans omnibus voluptatibus affluebam: ex quo vel meo ipſo uſu didici, vitam illam huic comparatam, mortem potius eſſe dicendam. Hæc ille moriens. *Hieron. Platus lib. 2. de bono ſtatu Relig. cap. 16.*

Ex recentioribus etiam Regibus reperiuntur, qui ſuis virtutibus monaſticam ornarunt diſciplinam. Franciſcanum ordinem, ut accepimus, ingreſſus eſt Joannes Brena Rex Hieruſalem, & Imperator Conſtantinopolitanus, cùm S. Franciſcum clarè inter orandum vidiſſet ſuum ſibi habitum offerentem. Quare vocato ſtatim Confeſſario habitum illum induit, nec multo pòſt febre correptus, quaſi hora undecima adveniens, denarium tamen accepit.

Felicior Henricus Rex Cypri, qui pluribus etiam annis in eo conſtituto vixit, nec ſolùm virtutibus, ſed miraculis etiam effulſit. Denique ex hoc numero Joannes etiam G Armeniæ Rex fuit, Leoni nepoti regnum relinquens, quod ita amplum fuiſſe ſcribunt, ut quatuor & viginti Reges ſuo poteſtate haberet, qui omnes diademate uterentur. Hic igitur tantum regnum deponens elegit abjectus eſſe in domo Domini, & pro ejus amore ſervire, qui aliis imperaverat. Verùm cùm Turcæ in eam Provinciam irrumperent, nec poſſet Leo reſiſtere, Joannes Dei cauſam agi videns, armis novo more ſuper religioſam tunicam injectis, perrexit ad bellum, in quo Chriſti hoſtes ex finibus ſuis cum magna ſtrage ejecit ille quidem; ſed dum victoriam ſequitur, ita Domino viſum eſt, ut in pugna quadam occiſus ad cœli præmia evolaret. *Platus ſuprà cap. 26.*

Petrus Aragoniæ Regis filius, anno MCCCLVII. qui in ſæculi relinquendi deliberatione defixus, dum, ut fit, ancipiti carnis, & ſpiritus pugna detineretur, apparuiſſe ei ferunt nocturno quodam viſu ipſum B. Ludovicum, cum aliquot fratribus ex eodem ordine multa gloria collucentibus, eumque animaſſe ad eam vitam complectendam, in qua tantum eſſet præmii, ac mercedis; quod ille brevi executus, viginti annos in religione vixit; non ſuo tantùm, H ſed aliorum etiam multorum profectu, quòd dicendo valeret, & multos ſuis concionibus ad Dei amorem inflammaret. *Idem, ibidem.*

Duces Bellici.

Gallicanus Romani dux exercitus, poſt Thraces, Dacos & Scythas bello domitos, Conſtantiam Conſtantini principis filiam ſibi matrimonio locatam, ac bene convenientem reliquit, & Chriſti miles factus eſt. *Sab. lib. 2. cap. 1.*

Joannicius Bithynus, in pueritia paſtor porcorum, hinc inter excubitores ſortitus locum, ſub Irene, & Conſtantino conſtituitur dux exercitus: & tranſiens per Olympum à monacho quodam perſuadetur, ut imaginum cultum approbet. Cùm fortiter in bello contra Bulgaros ſeſe geſſiſſet, Imperator eum in numerum procerum referre voluit. Sed ipſe ut peccatum illud, quòd imagines contempſiſſet, vita eremiticia expiaret, ex militia, in qua annis 24. fuerat, diſceſſit in ſolitudinem Olympi. In Antidii cœnobio duos annos commoratus,

didicit

didicit 30. Pſalmos Davidis. Poſteà in vicum Helleſponti A abiit, & tres totos annos in ſilentio exegit, à paſtore quodam vicino pane, & aqua nutritus. Habitum monaſticum aſſumens, in Critama ſeſe ligavit catena ſex ulnas longa. Poſt annos tres iterùm migravit ad Chelidonem, & ſub Georgio edidicit totum Pſalterium Davidis. In montibus Pruſenſium Gurias, ejus invidens honori, venenum illi propinavit, Euſtathius martyr in ſomnis illi apparens opem tulit. Epiphanius monachus ex invidia arbores inflammavit, ſperans eo incendio Joannicium interiturum: ſed ille præſcius futuri, ſeceſſit. Narrant, illum Nicephoro prædixiſſe diem obitus, & de Stauratio interrogatum, num diù ſuperſtes futurus eſſet in regno? reſpondiſſe, Res eſt in acie novaculæ. Euſtratio etiam Leonis prædixit interitum. De Methodii vaticinatus eſt Epiſcopatu. Mulierem quandam à dæmoniis vexatam curavit: puerum, quem ad præcipitium noctu ducebant, iis eripuit: antraque quædam à dæmonibus purgavit. Senatoris filium ægrotum ſanavit, & imaginum contemptorem oculis privavit. Euſtratium abſentem, in ſomnis illi apparens, graviſſimo morbo liberavit. Sicco pede aquam tranſivit. Templum Joannis apertis portis B illum ſponte admiſit: cogitationes libidinoſas à puella quadam collum ejus amplexante in ſeſe derivavit, ac poſteà draconi ſe objecit, cujus attactu ei ademptus eſt omnis libidinum æſtus, lapidum acervos commovit, recitatione Pſalmorum Davidis: dracones, & ſerpentes occidit: orans in altum elevatus pependit in aere: amiſſam virgam oratione impetravit per aerem ad ſeſe reverti, captivos ex carcere, liberavit, inviſibilem ſeſe reddidit: ad cognatum ſuum noctu in carcerem venit, eumque cum ſociis eduxit. Quinto anno Imperii Michaelis, qui fuit Domini 861. tertio Novembris obiit. *Simeon Metaphraſtes Tomo 5.*

Radulphus, Gallus, nobili genere natus, ita ut ſeptingentorum militum ductor, & dominus eſſet, omnia, quæ habuit, deſeruit, & leproſis quandam domum Hieroſolymis ante civitatem inhabitantibus inſervivit. *Gerardus à Nazareth cap.11 de Converſatione ſervorum Dei.*

* Comes quidam, Olibanus nomine, in iis Galliarum Aquitaniæ partibus, ſub cujus jure monaſterium Guarini Abbatis fuerat poſitum, ſublimi quidem erat culmine terre- C næ poteſtatis erectus, ſed multis peccatorum molibus aggravatus. Hic aliquando Romualdum gratia viſitationis adiit, & cæteris extra cellulam manentibus, ſolus cum ſolo geſtorum ſuorum ſeriem narrare quaſi per confeſſionem cœpit. Cui vir venerabilis, his, quæ ab eo referebantur, auditis, reſpondit, eum aliter ſalvari non poſſe; niſi mundum relinquens ad monaſterium convolaret. Comes autem mox mente turbatus, ait, quia ſui ſpirituales viri, qui ejus acta cognoſcerent, nequaquam ita ſentirent, neque tam intolerabilem rem ſibi aliquando ſuaderent. Adſcitis itaque Epiſcopis, & Abbatibus, qui ſecum venerant, cœpit in commune perquirere, ſi ita, ſicut Dei ſervus teſtabatur, ſe haberet. Illi autem beati Romualdi ſententiam omnes unanimi voce confirmant; ſe vera Comiti eatenus non dixiſſe terrore conſtrictos excuſant. Tunc Comes ſemotis omnibus hoc cum beato Romualdo ſecreto valdè conſilio pepigit, ut ad Caſſinum montem ſub prætextu orationis pergeret, & in monaſterio ſancti Benedicti Divino ſe ſervitio irrevocabiliter manciparet. Et inferius: Olibanus autem Comes D ſua relinquens filio, cum multa divitiarum copia, quindecim ſcilicet onuſtis theſauro ſaginariis, comitantibus eum Guarino, & Joanne, atque etiam Marino, ad beati Benedicti ſe monaſterium contulit, & valedicens his, qui ſecum venerant, nihi tale de eo uſque tunc ſuſpicantes, multis gemitibus, & amaris fletibus ſe affligentes ad propria remeare coegit. *Petrus Damianus in vita S. Romualdi cap. 16. apud Surium. Chronic. Caſſinenſ. cap. 9.*

* Duces etiam, ac Dynaſtas non paucos à Deo vocatos legimus. E recentioribus unus fuit Franciſcus Borgia Dux Gandienſis, poſtmodum tertius ab Ignatio Societatis Jeſu Præpoſitus Generalis, qui ampliſſimis in Hiſpania apud Carolum V. perfunctus honoribus, magna hominum admiratione, omni mundano faſtu depoſito, religioſam humilitatem amplexus eſt, in qua etiam mirabiles progreſſus fecit. Cur autem Societatem hanc potiſſimùm, præſertim recentem, & adhuc novam elegiſſet, eam ipſemet Carolo V. reddidit rationem, quam ego ipſe ex eo audiſſe me memini: ut ſi quis eſſet, qui præter multas, quas poſſideret, vineas fructuoſas, hortum quoque ad ſuam oblectationem plantare decerneret, nihil ab ullo gratius fieri poſſe, quàm ſi ſurculum, aut ar- E borem donaret ad illum conſerendum: ſic cùm Dominus, quaſi poſt tot veteres, ac nobiles aliorum ordinum vineas noviſſimè hunc Societatis hortulum inſtitueret, viſum ſibi eſſe, ſe rem illi gratiſſimam facturum, ſi ſeipſum quaſi arborem qualemcumque hoc ipſo loco offerret. *P. Ribadeneira lib.2. vitæ ejuſd. cap.11. Plat. lib.2. cap.26.*

☞ *Vide infrà in prærogativis Ordinum nonnulla.*

Præfecti.

Nilus Conſtantinopolitanus præfectus, vir nobilis, Chryſoſtomi diſcipulus, poſtremis junioris Theodoſii temporibus, maritus quoque tandem monaſticen amplexus eſt, Multa quoque ſcripſit *Niceph. lib.14. cap.54.*

Chararicus in monachum cum filio attonſus à Clodoveo rege Francorum. *Æmilius.*

Medici.

F

Joannes Damaſcenus, monachus Benedictinus, ſub Anaſtaſio II. Pontifice, anno Sal. 484. in Theologia, & Medicina quædam ſcripſit.

Constantinus Afer, patria Carthaginenſis, Babylone diſciplinis Chaldæorum, Arabum, Perſarum, Ægyptiorum & Indorum perceptis, anno peregrinationis 39. in patriam rediit. Metuens autem ſuorum inſidias, in Italiam trajecit: & monachus Caſſinenſis factus, ex diverſis gentium linguis tranſtulit complura opera artis medicinæ: ut Pantechnon, 12. libris diſtinctum: Practicam de conſervanda valetudine, & morborum curatione, librum Graduum, Diætem ciborum, de febribus, quem ex Arabe Latinum fecit, Librum de urina: de interioribus membris, eorumque præcipuis morbis. Expoſitionem Aphoriſmorum: τέχνην, μεγατέχνην, μικροτέχνην. Diſputationem Platonis, & Hippocratis in ſententiis, de Simplici medicamine, de gynecia, de pulſibus, de experimentis, gloſſas herbarum, de dæmoniaco & claudo curatis ab Alexandro Papa, & de ejus tranſitu, de electione Gregorii. *Chronicon Caſſinenſe lib.3. cap. 34.* G

Cyrus Alexandrinus medicus; ex philoſopho factus monachus, vir dicendi peritus, tempore Gennadii, ut ipſe narrat. Adverſus Neſtorium priùs eleganter, & fortiter ſcripſerat poſteà autem Timotheanum dogma fovere cœpit, dum in Neſtorio refutando ſyllogiſmis magis, quàm Scripturis uteretur. Demum & animi dubium, ſuſpendiſſe ſuum aſſenſum à decretis Chalcedonenſis, Concilii, nec acquieviſſe, ut filius Dei poſt incarnationem duabus conſtare naturis dicatur, in ſuo catalogo Gennadius refert. *Trithemius.*

Truſianus. *Vide infrà.*

Sponſi, Mariti.

Prædicat Gregorius Turonenſis quendam Leopardum, qui contra voluntatem parentum, rupta promiſſione facta honeſtæ puellæ de conjugio, atque donis confirmata, in monaſterium ſeſe contulit.

Sebaldus regis Daciæ F. Pariſiis operam dedit literis. Nocte prima nuptiarum ſponſam deferens, in eremum fugit, & ibi 15. annos manſit. Romam profectus à Gregorio II. in H Germaniam prædicandi cauſa miſſus fuit, & prope Norimbergam in ſolitudine vixit. Tandem Norimbergæ in oratorio fratrum D. Martini mortuus eſt, eumque boves indomiti ad locum ſepulturæ duxerunt. Martinus tandem V. eum in numerum Divorum retulit, & 14. Sept. ejus honoribus annuatim tribuit. Fuit coætaneus Bonifacii, & Vvilibrodi. *Curio lib.2. Chronologiæ.*

Venantius Biturigum incola, parentum juſſu, ac conſenſu in juvenili ætate, cum honeſta puella matrimonium contraxit: poſt celebrata ſponſalia, fortè Turonum in monaſterium S. Martini veniens, eo vitæ genere delectatus, ſponſæ libellum repudii miſit, & in monachorum ordinem coadoptatus, tandem Abbas factus eſt. Nocte ex templo domum reversùs, invenit ſuam habitationem diabolis plenam. Ad quos dixit, Unde eſtis? Roma, inquiunt: heri egreſſi ſumus. Quibus ille: Diſcedite, inquit, damnati: veſtrum non eſt, in loco in quo nomen Domini invocatur, verſari, & ſtatim evanuerunt. *Greg. Turon. in Vitis patrum.*

Dauserius, Beneventani Principis filius unicus, relicta ſponſa

ſponſa ſua intacta, inſciiſque parentibus, Caſinum monaſte- A rium ingreſſus, Deſiderius dictus eſt. Dein abbas factus, per Nicolaum II. Papam inter Cardinales receptus. Tandem mortuo Gregorio VII. in exilio, Salernitani, & Capuani principum opera Clementem III. ejecit, & eodem anno dyſenteria, vel veneno (ut *Platina* vult) obiit.

Vulmarus Bononienſis patricius, primùm uxorem duxit Hoſtotholdam. Ea deſerta, in monaſterium Altimontis Nerviorum ſeceſſit. Denuò patriam petiit, & in Mempiſco vaſtam ſylvam ingreſſus, in cava arbore triduo abſque cibo conſedit. Extruxit poſteà ibidem monaſterium, in quo reliquum vitæ exegit. *Mejerus in Chronico Flandriæ.*

Servi.

Portianus cujuſdam barbari ſervus, relicto Domino in monaſterium tranſiit: in quo adeò profecit, ut mortuo abbati ſuccederet. Cùm Reginaldi, qui ſecundas à rege Theoderico tenebat, potui benediceret: vas in quo venenum latebat, diſſiliit, Theodorico Arvernos fines vaſtanti, & in Archonenſis oppiduli agris caſtra metanti, occurrit ſupplicaturus pro populo, à quo benignè exauditus, à captivitate ſuos B liberavit. *Turonenſis in vitis Patrum, cap.5.*

Latrones.

David quidam in finibus Hermopolis, graſſatorum princeps, cùm diù exercendis latrociniis operam impendiſſet, tandem monachus factus, Deo in humilitate ſervivit. Et cùm poſt aliquot dierum pœnitentiam, dimiſſa ſibi eſſe peccata, angelo referente, accepiſſet, multitudinis eorum conſcius, dubitavit, an vera audiret. Ob incredulitatem, linguæ officio caruit. Sed cùm vehementer doleret, quòd ſolitas Deo laudes ore impedito concinere non poſſet, vocis uſum ad eam duntaxat rem recuperavit, ad cætera mutus permanſit. *Marul. lib.2. cap.12. & lib.4. cap.10. & Fulg. lib.6. cap.9.*

Anno Sal. 1490. Venetis piratas toto mari Thomæ Zeni ductu inſectantibus, Paulus Catinenſis haud obſcuri nominis pirata, cognomento Camalius Raguſino portu interceptus, Venetias ad ſupplicium mittitur. Hic magno patrocinio defenſus, vix tenuit, ut extra vincula in urbe liceret eſſe. Dein C paulatim animo ad religionem inclinante, eò proceſſit, ut Anachoretico habitu, capite, & pedibus nudis vagaretur, & qui nautis toto mari nuper terrori fuit, mitis, humiliſque, ac ſeminudus conſpiceretur, ad Eremitanum cœmeterium diverſabatur, inter mortuorum oſſa, ſubterraneo ſpecu cubans. *Sab. lib. 8. Ennead. 10.*

Exules.

Henricus III. Imp. exules Lombardos, quos ſuperioribus annis propter conjurationes initas Conradus prædeceſſor in Germaniam relegarat, reſtituit. Exules civitatibus ſuis repetitis humilitatem, in qua in exilio fuerant, tenuerunt, neque ullam rem publicam, aut privatam attingentes, verùm uni religioni ſtudentes, ac victum manibus ſuis quærentes, vitam traduxerunt. Primæ ſedes ad Comum in loco, qui Rondinetum appellatur, locatæ. Hos vulgò monachos Humiliatos dictos, atque aliis ad eos ſe applicantibus auctos, ſequen- D tibus annis, diſciplina D. Benedicti Joannes Meda Comenſis aſtrinxit, ab Alexandro III. in divorum numerum relatus. *Sigonius lib.8. regni Ital.*

Morientes.

Christophorus Longolius antequam è vita diſcederet, in D. Franciſci familiam voluit adoptari, ejuſque habitu poſt mortem in templo ſepeliri. Obiit XXXIV. ætatis anno, III. Idus Septemb. anno Salutis humanæ M. D. XXII. Patavii in Franciſci habitu ſepultus. *Auctor. vitæ.*

* Viri doctrina Illustres.

Joannes Chryſoſtomus, patre vita præſenti defuncto, excurſo non ita multo pòſt tempore, & ipſius beata mater vitæ finem accepit, relictis ei divitiis permultis in auro, argento, veſte pretioſa, prædiis, mancipiis, jumentis, aliiſque id genus peculiis, ac perquam multis facultatibus. Matrem igitur ut primùm decenti funere, ac religioſè extulit, in conditorio depoſuit beati patris, juxta ſanctæ matris præſcriptum. Sa- *L. B. Theat. vit. Human.* ne quidem aurum in pauperes, & indigos incunctanter dilargitus eſt: quod autem nulla inſigni nota erat percuſſum, in E Eccleſias diſpertivit, ac finitima monaſteria proximè adjacentia civitati, ad exornandas pretioſas reliquias. Servos, & ancillas ad unum omnes ſervitutis vinculo emancipatos aſſeruit libertati. His tandem exolutis vinculis negotiorum, ſuperfluè mentem urgentium, quicquid reſederat è ſuis facultatibus in uſum civitatis diſtribuit, ut vacuus maximè eſſet ab omni temperie, & moleſtia exactorum publici tributi. Veritatis concertator hic ſua hæc omnia ad hunc modum diſpenſabat. Proinde in perquam amœna requie vitam tranſmittebat, jugi meditationi, aſſiduæ lectioni divinarum ſcripturarum advigilans, cuſtos pervigil ſui ipſius corporis factus ſtudio fugitans, & à ſe quàm longiſſimè ſubmovens irritamenta gulæ, turpiumque concupiſcentiarum indecoras permiſtiones propellens, in corpore ſuo quaſi in templo copiam ſancto locum tribuebat capacem virginitatis, ac ſanctimoniæ. Porrò is cùm probè noſſet extimulante conſcientia, præſertim vigente ætatis flore (tametſi ſalvo eſſet, & incolumi ſenſu præditus) ſe haudquaquam eſſe parem tot ſuſtinendis moleſtiis, quas faceſſit Reſpublica ſuis adminiſtratoribus, finitima civitati inviſit monaſteria. A ſuæ cognationis homini- F bus, & à civitate cum ſe ſequeſtraſſet, in numerum adſcitus civium ſupernæ Hieruſalem, ſtudio feſtinabat, ac flagranti deſiderio urebatur, ut vel ibi innoteſceret. Illic igitur cœpit primordia jacere monaſticæ exercitationis, ac tenaciùs tueri. *Tom. 1. oper. ejuſd.*

* D. Augustinus mox poſt baptiſmum ex intimis cordis medullis ad Deum converſus, ſpem omnem, quam habebat in ſæculo, dereliquit: jam non uxorem, non filios carnis, non divitias, non honores ſæculi quærens, ſed ſoli Deo cum ſuis ſervire ſtatuit, & in illo, & ex illo puſillo grege eſſe ſtudens, quem Dominus alloquitur, dicens: Nolite timere puſillus grex, quoniam complacuit patri veſtro dare vobis regnum: vendite, quæ poſſidetis, & date eleemoſynam, facite vobis ſacculos non veteraſcentes, theſaurum non deficientem in cœlis. Et illud quod iterùm dicit Dominus, idem vir ſanctus facere cupiens: Si vis perfectus eſſe, vende omnia, quæ habes: & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlis: & veni, & ſequere me. Factus ergo presbyter monaſterium intra Eccleſiam mox inſtituit, & cum Dei ſervis vivere cœpit ſecundùm modum, & regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitu- G tam: maximè verò, ut nemo quicquam proprium in illa ſocietate haberet, ſed eis eſſent omnia communia, & diſtribueretur unicuique, prout cuique opus erat, quod jam ipſe prior fecerat, dum de tranſmarinis ad ſua remeaſſet. *Vide Epiſt. 89. ejuſdem Auguſtini ad Hilarium.*

* Bernardus Burgundiæ partibus oriundus, parentibus claris ſecundùm dignitatem ſæculi, ſed dignioribus, ac nobilioribus ſecundùm Chriſtianæ religionis pietatem mundum relinquens, & adveniente die reddendi voti, & complendi deſiderii egreſſus eſt domo paterna Bernardus pater fratrum ſuorum, cùm fratribus filiis ſuis ſpiritualibus, quos verbo vitæ Chriſto genuerat. Videns autem Guido primogenitus fratrum ſuorum Nivardum fratrem ſuum minimum, puerum cum pueris aliis in platea: Eja, inquit, frater Nivarde, ad te ſolùm reſpicit omnis terra poſſeſſionis noſtræ. Ad quod puer non pueriliter motus: Vobis ergo, inquit, cœlum, mihi terra? Non ex æquo diviſio hæc facta eſt. Quo dicto abeuntibus illis, tunc quidem domi cum patre remanſit, ſed modico pòſt evoluto tem- H pore fratres ſecutus, nec à patre, nec à propinquis, ſeu amicis potuit retineri. *Lib. 1. vitæ ejus cap.3.*

* Petrus de Monte S. T. C. & univerſitatis Lovanienſis Rector, poſita Academica purpura, dimiſſiſque Bedellis, Minorum ordinem ibidem ſuſcepit, & in illo diù Lectorem egit.

Monachæ Christianorum, quo ad susceptionem Ordinis, Quæ Puta.

Virgines. Sponſæ.

Velandarum Virginum inſtitutum jam inde à primitivæ Eccleſiæ viduis deductum, *Polydor. lib.9. cap.13.* & à Pio I. & Sotere illius ſucceſſore confirmatum, ſcribit. *Volaterranus* verò ſcribit *lib.* 22. Pium requiſiviſſe annum ætatis 15. in virginibus, diemque eas velandi, aſſignaſſe diem Epiphaniæ Domini, idque anno CXLIV.

Monigundis patria Carnotenſis, marito, cui binam prolem pepererat, relicto, de illius conſenſu ſolitariam agere cœpit vitam, ſatis pauperem: veſcebatur enim tantùm pane ordeaceo, ſtrato vili ex juncis contexto utebatur. In orando aſſidua erat: ad quæ exercitia & virgines, quas ſibi adſciverat, adigebat. Quædam ejus miracula narrat *Greg. Turon.*

Radegundis ex Turingia oriunda, patre Berengario rege, captiva à Francis abducta, cùm in ſortem Lotharii regis ceſſiſſet, ei nupſit. *Vincent. l. 21. cap. 70.* Sed relicto marito ad Medardum Noviomi Epiſcopum, ut ſacris initiaretur, confugit. Deinde Pictavii extructo monaſterio abbatiſſam egit. Miraculis etiam claruit.

Henrici Anglorum regis Conjux, duobus partubus contenta, ad monaſterium, quod à teneris annis incoluerat, rediit, & ſub regio veſtitu cilicio induta fuit, nudiſque pedibus tempore Quadrageſimæ Eccleſiam intrare conſuevit. *Malmeſrienſis lib. 5. cap. 29. de geſtis Anglorum.*

Sibylla Theodorici Flandriæ comitis conjux, in xenodochio D. Lazari Hieroſolymis facta eſt monacha, an. MDLIX. *Chron. Fland. lib. 5. Sig. continuator* Mabiriam vocat: comitem Terricium.

Heduigis, uxor Henrici Barbari Uratislavienſium ducis, circà annum MCCXX. prophetico ſpiritu dotata fuit. Ejus rogatu maritus Trebnicienſe monaſterium, tertio ab Uratislavia milliario, maximis ſumptibus ædificavit, & puellis Ciſtercienſis ſectæ attribuit. Maritum ſuum ægrotum ne viſitare quidem voluit, ne religionem pollueret. *Crom. lib. 8.*

Viduæ.

☞ *Sic Paula, Marcella, Melania. De quibus infra.*

Imperatrices. Reginæ.

Mechtildis, Henrici Aucupis Romanorum Imp. filia natu maxima, prima à parentibus in Quodlinburgenſi monaſterio, à ſe in Servatii quodam Tungrorum Epiſcopi (teſte Trithemio) honorem extructo, conſtituitur abbatiſſa. *Mersburgenſe Chron.*

Agnes, Henrici III. Imper. vidua, ab adminiſtratione imperii ab Hannone Colonienſi Archiepiſcopo remota, anno MLXIX. in Italiam ſe contulit; ac primùm Fructeriæ monaſterio ſe incluſit: deinde Romam profecta, ibi per novennium quietè vixit, mortua ob mœrorem, cùm Henricum F. à principibus regno dejectum audiſſet, in æde D. Petronellæ ſepulta. *Sig. lib. 9. regni Ital.*

Juditha, ſeu Juta, Othonis III. Imp. F. à Bretislao Boemiæ principe Ratiſponæ è monaſterio rapta, quinque ei liberos mares dedit. Ab ejus obitu à filio Spitigneo Germanorum hoſte in patriam ablegata, Petro regi Hungariæ nupſit. Eo quoque fatis functo, monaſterium Pruk juxta Znoymam condidit, quod hodie Lucenſe dicitur, & in eo anno MLIX. obiit. *Dubr. lib. 8.*

Ebba, Edelfredi Nortumbrorum regis impii filia, cæſo in acie patre à Chriſtianis, capta, raptorem divina evadens ope, ſcapha arrepta, per Humbrum in mare abſque humana ope devecta eſt: ac tandem in Forthææ oſtiis ad promontorium, quod ab ea Ebbæ nomen ad nos tulit, in terram expoſita, ſacro ab antiſtite loci accepto velo, inter ſanctimoniales ibidem degentes eſt numerata. Mater tandem antiſtita ſanctarum virginum effecta, ſeſe virtutum exemplar cunctis imitandum præbuit. *H. Boeth. lib. 9.*

Ethelreda regina Angliæ in Conjugio XII. annis illibata virginitate vixit. Tandem abbatiſſa facta, & mortua, multos annos integro corpore manſit. *Beda lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 20. Vide Tit. Conjuges perpetua virginitate celebres.*

D. Eliſabetha Hungarorum regis Andreæ F. poſt Ludovici Thuringii ducis mariti ſui mortem, veluti prodiga, regnoque calamitoſa, à nonnullis eiicitur. Dum miſella vagatur, in diverſorium quoddam divertit, porcorum olim haram: poſt intempeſtam noctem, proximum Franciſci cœnobium adiit, ſacerdotes oratura, ut de hac inſigni miſeria pro ſe Deo gratias agerent. Sed matertera, ſacrarum virginum præfecta ejus exilium miſerata, ad Bambergenſem antiſtitem illius avunculum duxit: qui hanc piè exceptam honeſtè retinuit, ut alteri quoque viro nuberet; diù cum nepte contendit, nunquam tamen permovere potuit, quippe quæ, ſi qua vis nuptiarum gratia ab illo inferretur, naſum ſibi ipſa potius præcidere decreverat. Poſthæc in divi Franciſci ſe religionem aſſeruit, miramque in ea religione humilitatem præſtitit. Hæc cùm Andræas pater reſciſceret, eam per quendam procerum ſuorum in paternam regiam nequicquam revocavit. *Bonfin. lib. 7. Decad. 2.*

* Chunegundis Auguſta Henrici II. Imp. conjux, & virgo ſanctiſſima, Conrado ſibi ſuccedente in regno, curis ſecularibus, ſicut jam diù deſideraverat, exonerata, jam in ipſo anniverſario die tranſitus ſancti Henrici, Archiepiſcopos ad Dedicationem Confugienſis Eccleſiæ convocavit. Ubi inter Miſſarum ſolemnia Imperiali decentiſſimè omni ornatu culta, ante principale altare virgo Dei devota proceſſit: ibique theſaurum incomparabilem, ligni videlicet Dominici Crucem, parvam quidem in materia, ſed maximam in virtute Domini obtulit (At ubi lectio Evangelii, quòd dici conſuevit ex præſcripto ſacrorum rituum in dedicatione alicujus Eccleſiæ, in qua ſuper arborem ſycomorum aſcendens conſpicientem ſe Jeſum ſuſcipere, & ab eo benedictionem Zachæus puſillus meruit accipere) lecta fuit: regalem purpuram exuens, tunicam fuſciorem quam ipſa ſibi manibus ſuis operata fuerat, ſacerdotali benedictione data, veſtem religionis induit: & multis quidem pro ſe flentibus, pro illa autem gaudentibus, quæ jam ſeculum damnaſſet in veſtibus, capillis, qui huc uſque in eodem monaſterio pro veneratione ſervantur, præciſis, impoſito ſibi ab Epiſcopo velo, annulo fidei ſubarrhata, gratulabunda concinuit: Poſuit ſignum in faciem meam &c. Et: Annulo ſuo ſubarrhavit me Dominus Jeſus Chriſtus. Ita ſponſo Chriſto conſecrata, dum filiarum ſuarum ſe ſanctiſſimo contubernio applicuiſſet, non ut mater filiabus ſe præferebat, ſed omnibus inſerviens ſervilem perſonam ſe oſtendebat; ita tamen, ut cùm omnia faceret, oſtentationem fugeret ſingulorum, ne reciperet in præſenti ſeculo mercedem ſuam. *Surius in vita. Marul. lib. 1. cap. 1.*

* Carolus Junior dictus, cognomento Craſſus à corporis pinguedine, Richardem habuit uxorem, Regis Scotiæ filiam, fœminam ſanctimonia vitæ caſtitate inſignem. Cui cùm adulterii crimen obiiceret, quòd familiarius ageret cum Lutuvaldo Vercellenſi Epiſcopo, unico ſuo conſiliario, cui rerum ſuarum adminiſtrationem omnem conceſſerat, factus zelotypus, ac delirus uxorem in concionem vocat; jurat ab ſe integram hactenus relictam, nec ullo concubitu cum ea ſe commiſcuiſſe. Caſta fœmina, quæ impotentiam viri tot annos celavit; Bene, inquit res ſe habet, mariti jurejurando virgo: afferte obſtetrices, & mulieres honeſtas, quæ meam integritatem atteſtentur; nec amplius tali marito cohabitabo. Si vultis inſuper, ignitis vomeribus caſtitatem meam palàm cunctis faciam. Facto itaque diſſidio, acceptis bonis ſuis, in Alſatia monaſterium conſtruit ſacrarum virginum, quòd hodie Andalavu appellatur, ac ſe Deo dicat, ubi ſepulta jacet. Quæ res ut multis commiſerationem, ita Auguſto peperit extremam calamitatem. *Joan. Cuſp. in Car. Craſſo. Paulus Mor. de orig. relig. lib. 3. cap. 5.*

* Regum porrò filiæ, quæ ſe Deo in monaſteriis conſecrarunt, magnum omnino, & longum eſſet connumerare, tanta earum eſt multitudo. Eduardus Angliæ Rex ſuſcepit ex uxore Elſglua filias multas, inter quas & Edburgam, quæ dum tenerrima eſſet, ſpectabile futuræ ſanctitatis dedit periculum. Explorare volebat pater, utrùm ad Deum, an ad ſeculum declinatura eſſet puſiola, poſueratque in triclinio diverſarum poſſeſſionum ornamenta, hinc calicem & Evangelia, inde armillas & monilia. Illinc virguncula ulnis nutricis blandientis allata genibus parenti aſſedit, juſſaque, utrùm vellet, eligere, torvo aſpectu ſecularia reſpiciens, promptèque manibus reptans Evangelia, & calicem, puellari adoravit innocentia. Exclamat cœtus aſſidentium, auſpicium futuræ ſanctitatis in puella, exoſculatus pater ipſe arctioribus baſiis dignatus ſobolem: Vade, inquit, quò te vocat divinitas, ſequere fauſto pede, quem elegiſti ſponſum: Et profectò & ego, & conjux felices, ſi à filia religione victi fuerimus. Ita ſanctimonialium habitu induta, cunctas ſodales ad amorem ſuum in urbe Vvintoniæ ſedulitate obſequii invitabat. Nec reſupinabat eam alta proſapiæ magnitudo, quòd generoſum putaret in Chriſti inclinari ſervitio. Creſcebat cum ætate ſanctitas; adoleſcebat cum adulta humilitas, in tantùm ut ſingularum ſoccos furtim noctu ſubriperet, & diligenter lotos, & inunctos lectis curſum apponeret. Quapropter licèt multis miraculis Deus vivente inſigniverit, iſtud exemplum magis in cauſa prædico, quòd omnia opera ejus inchoabat charitas, & conſummabât humilitas. *Guil. Malmesburb. de geſtis Anglor. lib. 2. cap. 13.*

Soror regis Boemiæ Agnes, hortatu Minorum fratrum, ſe tradidit ordini pauperum dominarum de regula B. Franciſci in Praga, ſpreto propter Chriſtum Imp. Friderico II. qui eam ante conthoralem poſtularat. *Albertus Crantz. lib. 7. Metrop. cap. 48.*

Mlada Boleslai Sævi Boemorum principis filia, Romam profecta, ab Joanne Pp. flammeo ſacro velatur, cujus nomen cùm pronunciare difficulter poſſet, Mariæ id vocabulo permutavit: Pragam reverſa, apud ædem D. Georgii Benedictinæ profeſſionis regulam profeſſa, & diploma ſecum attulit, quo Pragenſi Eccleſiæ jus Epiſcopatus tribuebatur. *Dubr. lib. 6.*

Vilitrudis, Bertholdi ultimi Bavarorum ducis conjux, (cui ob ſingulare religionis ſtudium à pietate nomen inditum fuit) cum prole deſtitueretur, omnes dotales provincias, quibus poſt mariti ſui obitum imperitabat, Deo dicavit, ſeque jam ſenio confectam religioni totam dedidit. Collecto igitur piarum virginum cœtu, Pergenſe cœnobium, in honorem Chriſti, ejuſque Sanctæ genitricis, S. Joannis & ſanctæ Crucis, in Eiſtetenſi Epiſcopatu conſtruxit, ann. DCCCCLXXVI: idque de conſilio Othonis II. omni ſuo dotali territorio liberaliſſimè dotavit. Ipſa verò prima ejus loci abbatiſſa facta eſt. *Bruſch. in chronologia Monaſteriorum Germaniæ.*

Beatrix, Aldobrandini Eſtenſis filia, Patavina, forma, & pudicitia tanta fuit, ut eam Andreas Hungariæ rex honorificentiſſimè petierit in uxorem: anno Domini MCCXXXV. Ea poſt viri mortem, cùm ex eo filium ſuſcepiſſet, verita privigni invidiam, induta virili habitu, unà cùm infantulo incognita, Veronam primò, ſubinde in patriam ſeſe tuto recepit. Quæ poſteà, uti erat animo ſublimi, cùm nollet ulli viro inferiori tanto rege nubere, nupſit Chriſto, ingreſſaque monaſterium Gemnulæ, vixit in maxima humilitate, & caſtitate. *Bern. Scad. lib. 3. hiſt. Pat.*

Nobiles.

Brugis in Hiſpania monaſterium eſt monialium, & ſanctiſſima domus, à rege Sancio Amato ædificata, quàm Huelgas vocant Hiſpani: cujus maxima, excepta regina, omnes Hiſpaniæ fœminas primarias antecedens, ſub imperio ſuo, diligentique cuſtodia CL. monialibus imperat, & ſanctiſſimè conſulit: quæ quidem moniales ſunt omnes equitum, nobiliūque principum filiæ, & familiæ generoſæ. Præeſt etiam hæc, quam Abadeſſam vocant, aliis ſeptendecim monaſteriis, & oppidis XIV. non ignobilibus, atque illis minoribus quinquaginta. Confert præterea ſacerdotia multa ſacerdotibus, & cenſus commendatiores viris duodecim contribuit, & alia beneficia, & officia, & ſuis populis magiſtratus, & gubernatores eligit. *Marineus lib. 3. rerum Hiſp.*

Mulier quædam illuſtris, atque honeſta Anna nomine, marito haud ita pridem orbata, feſtinanter ſanctum virum Stephanum magni nominis monachum in Auxentiano monte in Bithynia degentem, & gratia miraculorum illuſtrem, adiit. Cùmque ſe viduam, atque liberorum expertem, ac proinde ſolam eſſe, ipſi narraſſet, nihil aliud ſibi ſupereſſe dicebat, quàm ut monaſtica veſte, cujus ſe incredibili quodam deſiderio teneri aſſerebat, indueretur. Ille autem eam longa oratione inſtructam, ac ſalutiferis præceptis ſedulò eruditam dimiſit, his verbis ad extremum utens: Vide cum quo paciſceris, ac ſi qua te animæ cura tenet, id quod promiſiſti, mox præſta, ne te cunctantem mors invadat. Pia igitur illa mulier ad matrem rediens, ac patris ſermones in intimis cordis penetralibus abditos tenens, facultates omnes ſuas auro commutat, eoque magna ex parte pauperibus erogato, confeſtim parentes, propinquos, vicinos, amicos relinquens, ad divum Stephanum ſe confert, non parvam auri illius portionem ſecum geſtans. At ille aſperiori orationis genere ad eam utens: Cùm tu, inquit, ex Salvatore ipſo audieris, ejus diſcipulum eſſe minimè poſſe, qui non bonis omnibus renunciaverit, quonam modo contempto, ac pro nihilo habito hoc præcepto, partem aliquam mundi retines? Hæc ut mulier audiit, ipſius perſpicaciam ad ſtuporem uſque admirans; Non me, inquit, honorande Pater, avaritia; ſpiritualis potiùs (niſi me animus fallit) cupiditas impulit, ut auri aliquid mihi reliqui facerem, quòd videlicet id per tuas ſanctas manus erogari, majoremque mihi tua opera utilitatem comparari cuperem. Tum ille: Alienorum delictorum ſcintilla manibus meis extinguere nullo modo ſuſtineo: vereor enim ne qua earum furtim ſuccendatur, maximumque in animo meo incendium excitet. Id enim nonnullis, dum non ſatis animum attendunt, uſu venire compertum habeo. Illud autem omninò perſpicuum eſt, quod qui ſeminat, idem quoque ſuis manibus metit. Hæc loquutus eam quidem rurſum ad matrem redire haud quaquam utile eſſe judicavit: cæterùm ut vicinis locis unà cum pio Marino peragratis, ipſamet ſuis manibus pecuniam illam diſtribueret, imperavit. Quo munere cùm perfuncta eſſet, tum denique monaſtica eam veſte induit, atque ad mulierum monaſterium tranſmittit, Antiſtitæque etiam atque etiam mandat, ut ſummam ipſius curam gerat, manumque ei ad virtutis ſtudium amplexandum porrigat, ſedulòque opituletur. *Ex Damaſc. Baron. tom. 9. an. 762.*

Varii modi susceptæ Religionis.
Exempla Virorum.
Qui Inducti.

Jordanes Saxo, ordinis Prædicatorum Princeps, circà an. Sal. 1230. nobilis cujuſdam Germani Filium, inſcio parente, ad monaſticam profeſſionem pellexerat, Patri filium repetenti, Lege Germana cum Germano egi, inquit, quæ matri factam injuriam, à filio vindicari impunè permittit. Tu matris meæ bovem ſcelerata manu abegiſti: ego pio plagio vitulum tuum abduxi. Tu bovem tibi habeto: vitulum Chriſtus retinebit. *Leander lib. 2. de Viris illuſtr. ord. prædicat.*

Coacti.

☞ *Vide infrà, Cauſa Deſperationis.*

Tassilo Bajoaticorum rex ſupplex ad Carolum magnum Imp. venit, ac ſuperiorum erratorum veniam imploravit. Carolus Theodone filio ejus, ac duodecim aliis obſidibus acceptis, & populo ſacramento adacto, pacem dedit. Taſſilo deinde Luitberga uxore, quæ Deſiderii Longobardorum regis à Carolo everſi fuerat filia, inſtigante, Hunnos adversùs Francos ſolicitavit. Ea propter damnatus majeſtatis, unà cùm Theodone filio tonſus, in monaſterium eſt conjectus. *Sig. l. 4. Regni Ital.* Laureaci prope Heildelbergam extat illius epitaphium.

Taſſilo dux primùm, mox rex; monachus ſed ad imum,
Conditur hac fovea, quem pie Chriſte bea.

Hatto, ſeu Vvaldo, filius ducis Francorum, Rabano ſubrogatus, anno Domini 847. in cœnobio Fuldenſi, mediocriter eruditus, judicavit neminem debere invitum fieri monachum: ideòque Godeſchalcum pronunciavit à vinculo illo immunem, cùm probaſſet, ſe à Rabano coactum ſuſcepiſſe cucullam. *Munſterus, & Bruſchius.*

Haraldus Hybernus, auxilio Erici III. Danorum regis, Magnum Norvegiorum regem acie captum oculis, ac genitalibus privavit, ne aut luminum voluptate regnum appeteret, aut Veneris uſu ultricem ſui ſobolem procrearet. Cæcatus igitur caſtratuſque cum interrogaretur, Ecquem ex ſuis pœnam ſecum oculorum ſubire vellet? paucos ea re delectari reſpondit. Tunc quidam, & forma ei ſimillimus, & militiam ejus ſingulari fide complexus, ultrò ſe ſupplicio obtulit, præfatus ut videnti ſimillimum, ita luminibus orbato futurum. *Saxo lib. 14.*

Mulierum Exempla.
Pervasæ.

Baſilius Macedo Imp. Conſtantinopolitanus quatuor Filias in regium cœnobium Euphemiæ collocavit. *Zonaras tom. 3.*

Syra Scota ad Fiacrum fratrem eremitam, in Meldenſi agro anachoreticam vitam agentem, cum ſanctarum virginum comitatu ſe recepit: & ab eo cum ſodalibus in ſancto propoſito confirmata, ad Galliæ Campaniam ſe contulit, ubi per vitæ ſanctitatem, inſignem ſui reliquit memoriam. *H. Boeth. lib. 9.*

Coactæ.

Cùm Radegundis, virgo pulcherrima, viſendæ ſororis gratia xenodochium Marpurgi à D. Eliſabetha extructum ingrederetur: eam Elizabetha reluctantem apprehendit, auream illacrymanti comam ex edicto ſuccidit. Et rogata, Num aliquando ſalubrioris vitæ propoſitum concepiſſet? reſpondit,

Jam diu equidem, ſed hæc capillorum gloria revocavit. At illa: Carius mihi (inquit) eſt, cum capillorum tonſura omne tibi religionis impedimentum ademiſſe, quàm ſi filium ad Romanum imperium evectum audirem. Puella ſumpto habitu, cum ea in proxenodochio vitam ſanctiſſimam tranſegit. *Bonfinius lib. 7. Dec. 2.*

Maria Stephani Anglorum regis filia, Rammeſienſis abbatiſſa, nupſit Matthæo Theoderici principis filio, anno MCLXI. Cui cùm duas peperiſſet filias, Idam, & Mathildam, coacta eſt ipſum deſerere, longoque interdicto compulſa ad monaſterium rediit, anno Domini MCLXIX. *Chron. Fland. lib. 6.*

Per ſe, Sponte inducta.

Placidia virgo, Valentiniani Imp. & Eudoxiæ filia, repudiatis opibus, nulli rei præterquam ſaluti inhiavit.

De B. Asella. *Vide Infra, Infantes ab utero matris Religionis conſecrati.*

Sophia Belæ Hungariæ regis F. deſponſata Henrico primogenito Conradi Imperatoris; adhuc impuberi, Miſſa à parente in Germaniam, cùm ad Taurum Carinthiæ montem adveniſſet, excepta ab illis eſt, quos eò Conradus miſerat, & in Admutenſe cœnobium adducta, donec ſolemnes poſſent fieri Nuptiæ. Sed de die in diem tempus extrahitur, & tandem etiam ſponſus moritur, moritur & Bela. Geiſa filius in regni adminiſtratione ſuccedit: Prima ejus cura fuit, ut ſororem ex monaſterio extraheret, aliquoties mittens ei ſuos legatos: verùm id fruſtrà fuit. Tandem etiam vim minatur, niſi eam ſua ſponte abbas, & reliquus conventus traderet. Sed ne ſic quidem effecit quòd voluit, regina præferente monaſticem rebus omnibus. *Auctor vitæ Othonis, Bambergenſis l. 3. c. 35.*

Chilpericus in Pictavienſe monaſterium filiam tradiderat. Quam cùm inde rurſum vellet eximere, & matrimonio jungere; illa ſponte detrectavit. *Gregorius Turonenſis lib. 6. hiſt. cap. 34.*

Et ita intelligit de omnibus, qui religionem amplectuntur, quod ſua ſponte eam ineant, & in eadem perſeverent.

Inter viros latuere.

Theodora commiſſi adulterii conſcia, virum reliquit, & inter monachos latuit, Theodorus dicta ubi multa diaboli tentamenta vicit, & hoc poſtremò, quòd cùm inſimularetur, fœminam quandam de ſe gravidam peperiſſe, patienti animo tulit, puerum educavit ut ſuum: annos ſeptem ante monaſterii fores permanſit, veluti ſtupri rea. Recepta deinde cum puero cella ſe occluſit, atque ipſum viam perfectionis impensè docuit. Biennio pòſt vita defungitur, & à Deo honoratur, quam homines infamaverant. Fœminam autem fuiſſe antequam deceſſiſſe ſciretur, abbas revelatione cognovit. Vidit enim nuptiarum pompam in cœlo parari, ipſamque ab angelis in ſponſi cubiculum ingenti, cum exultatione induci, tripudiante Sanctorum choro, Deoque laudes concinente. *Marul. lib. 4. c. 10. ex Nicephoro lib. 16. cap. 5.*

Pappula invitis parentibus veſte virili ſumpta, capiteque raſo, cœnobium Turonenſe ingreſſa, propter virtutes Abbas creata eſt. Quod tamen officium recuſavit. Cùm autem tres annos in cœnobio vixiſſet, à nemine cognita, tertio die ante mortem monachis ſe fœminam eſſe revelavit. *Greg. Turonenſis in Gloria confeſſorum, cap. 16.*

Hildegundis monacha mutato nomine ſeſe Joſephum appellavit, medioque ſe monachorum Sconaugienſium agmini immiſcuit, ſimulans ſe maſculum. Ea illibata ad mortis tempus permanſit. Obiit anno 1118. *Chron. Hirſaug.*

CAUSÆ, ET OCCASIONES VARIÆ RELIGIONIS SUSCEPTÆ.

EXEMPLA VIRORUM.

Cur ſuſceperint? puta,

Cauſa Pœnitentiæ.

☞ *Vide ſuprà, Reges monachi. Valetudinis.*

Hermannus, patre Vuolferado, comite de Veringen: matre Hiltrude, fœmina religioſa, occaſione valetudinis minùs proſperæ, membrorumque contractione, unde agnomen Contracti accepit, apud Sangalenſes, ubi monaſticem profitebatur, totum ſe literarum ſtudiis dedit, quo corporis deformitatem ingenii dotibus ornaret, inter ſui ſeculi doctos non poſtremo cenſendus loco, ut ejus ſcripta teſtantur. Obiit ann. 1045.

Voti.

Otho Imperator à Pandulſo principe Arnulphum puerum obſidem acceptum trans Alpes in monaſterium miſerat educandum. Is poſt annos aliquot Pontificio præcepto monaſtica veſte ſumpta inde aufugit, atque in itinere morbo gravi oppreſſus, cucullam, quam occaſione fugæ ſimulanter induerat, ultrò ſe geſtaturum in poſterum vovit: ac domum reverſus, paternis ædibus ſpretis, in monaſterio S. Modeſti Beneventi ſe abdidit. Hunc à Principe patre abductum monachum Caſſinates contra Joannem Rotundulum ſibi aſciverunt Abbatem, anno 1011. *Sigonius lib. 6. regni Ital.*

Adolfus Comes Holſatiæ, & de Scovenborg, circà annum Sal. MCCXL. gravi bello Danorum, & Livonum preſſus, atque victor, relictis liberis, & uxore, Franciſcanorum cœnobium Hamburgi ex voto intravit, & ut ad ſacros ordines laicus promoveri poſſet, ab Innocentio IV. Romæ obtinuit. Mox domum reverſus, in oppido Kyl monaſterium ædificare, & ex Franciſcanæ religionis inſtituto oſtiatim ſtipem à ſuis ſubditis emendicare cœpit. Accidit, ut filios ſuos Joannem, Gerardum & Luderum, ſplendida pompa obvios ſibi lactis ſinum ferenti factos declinare non poſſet. Eos ut aſpexit, rubore ſuffuſus primùm, mox ſemetipſum recolligens, & carnis tentationem ſeverè reprehendens, catino inverſo caput ſuum lacte perfudit, inquiens: Occulto delicto manifeſta debetur pœnitentia, & quem paupertatis Chriſti puduit, ut ejuſdem quoque homines pudeat, juſtum eſt. Hoc dicto confeſtim ad fratres ſuos operi intentos (quos eo lacte recreaturus erat) rediit. In hoc vitæ inſtituto XIV. annis permanſit. *Crantz. lib. 8. Saxon. cap. 7. & 23.*

Meriti.

Fardulphus, ſeu Radulphus Longobardus, Reginoburgi in templo dormiens, cognovit conjurationem Pipini gibboſi contra Carolum Magnum: eaque prodita, pro mercede Abbas Dionyſii conſtituitur. *Avent. lib. 4. Annal.*

Securitatis.

Clodoardus, Clodomiri filius, cùm elapſus è manibus Theodorici, qui Metenſibus, & Clotharii, qui Sueſſionibus imperabant, fugiſſet, ne ut duo fratres neci quoque traderetur: ad aram confugiens inſpoliati fani, ibi quoad vixit, præcipuo ſtudio, ſanctiſſimeque nomen coluit. Unde poſt obitum inter divos relatus eſt. *Michael Ritius Neapol. lib. 1. de Regibus Francorum.*

Paulus Diaconus, Varnefridi & Theodelindæ Longobardorum nobilium F. Deſiderii regis notarius, aulæ pertæſus, Aquilejenſis Patriarchæ diaconus ordinatur. Cum Carolus Papiam expugnaſſet, & ipſe fuit captus: ſed propter eruditionem liberatus, in Galliam cum rege abducitur. Verùm cùm de liberando Deſiderio rege conſilia iniiſſet, perduellionis reus, damnandus erat, Proceres manus ei jubebant abſcindi. Carolus contrà, Ubi tam elegantem ſcriptorem inveniemus? Jubebant oculos erui: At ubi talem hiſtoricum reperiemus? Tandem in exilium in inſulam Diomedis deportatur. Sed cum ſervo ſuo elapſus, Beneventum ad Arichim, qui filiam Deſiderii Adelbergam duxerat, confugit, & illic hiſtoriam ſcripſit. Ariche defuncto, ut tutior eſſet, in Caſſinenſi monaſterio monachus eſt factus. Carolus ei verſibus ea de re gratulatus eſt. *Vixit uſque ad ann. 806. Sigebertus in Chronico.*

Petrus Abelardus, quem alii Bailardum, & Bajolardum & Abailardum nominant, è Britannia Galliæ oriundus. Rucelini diſcipulus Pariſiis, circa annum Chriſti 1140. eruditione, & acumine ingenii excellens; Theologiam ad Philoſophiæ terminos nova quadam ratione attemperavit: & Cluniacenſis monachus factus, ſanctiſſimè vixit. Aloyſam uxorem habuit piam, Hebraicis, & Latinis literis inſtructiſſimam. Quæ cœnobium monialium, quod Petrus è patrimonio ſuo ſub titulo S. Spiritus extruxerat, ingreſſa Abbatiſſam illic egit. *Chronicon Hirſaugienſe, & Petrus Abbas Cluniacenſis lib. 5. epiſt.*

Deſperationis.

Dum Iſaacius Comnenus Imper. venationi indulget circa Novam urbem, aprum ajunt apparuiſſe alicunde aſpectu terribilem. Comnenum laxato equi fræno inſequutum eſſe ſuem, eum verò incidiſſe in mare, ac diſparuiſſe: quem quidam non ſuem, ſed viſionem quandam ſuſpicati ſunt. Inter hæc quaſi coruſcatione quadam afflatum Imperatorem, ejuſque jactu turbatum, ex equo decidiſſe, ac procubuiſſe humi exanimem, ore ſputo conſperſo, illatumque in regiam. Ubi cùm aliquantiſper ægrotaſſet, in deſperationem redactum, totondiſſe capillos: & pro purpura aſperum, ac durum induiſſe veſtimentum, cucullam ſcilicet monaſticam. Cucam verò Conſtantinum Imperatorem factum. Tum ſe applicuiſſe ad Studii manſionem, ubi reliquum vitæ tranſegit, ex morbo priſtinæ valetudini reſtitutus. Imperavit autem annos duos, menſes tres. *Cuſpinianus.*

Ardoinus Eporædiæ Marchio, Italiæ rex poſt Othonem III. à factioſis creatus ab Henrico II. Germanorum rege victus, præ nimio animi dolore regno ſe abdicavit, atque ultrò in monaſterium Fructeriæ in agro Taurinatium abdidit. *Sigonius lib. 8. regni Ital.*

Trusianus Florentinus, Thaddæi Florentini diſcipulus, cùm videret infelicitatem ſuam in medica praxi, Carthuſienſis monachus factus, in Artem medicinalem Galeni, pluſquam commentum edidit.

Nicephorus Botoniates cognomento, qui originem à Nicephoro Phoca Imp. ducebat, cùm ſe reipublicæ planè inutilem eſſe videret, in cœnobium ingrediens, monachum egit. *Vol. lib. 23. Anthrop.*

Bamba Gothorum rex in Hiſpania, belli, paciſque artibus clarus, poſtquam XVII. Toletanum concilium celebraſſet, ab æmulis medicata potione accepta memoriam amiſit, regnoque adminiſtrando inutilis effectus, ſe monaſticæ vitæ in cœnobio Pampligenſi addixit, in quo vixit annos ſeptem, cùm prius octo regnaſſet. *Jo. Magnus lib. 16. cap. 22.*

Liberorum amiſſionis.

Seligerus Baro à Vuolhuſen, liberis in lacu quodam ſubmerſis, in cœnobium quoddam Eremitarum ſeceſſit. Uxor ejus Heduigis in Tigurinum, à Dominabus denominatum. *Bruſchius de Monaſteriis Germaniæ.*

EXEMPLA FOEMINARUM.

CUR, CAUSA.

Pœnitentiæ.

Fabiola nobilis matrona, poſt lapſum ad Chriſtum converſa, ſanctiſſimam egit vitam: *teſte Hieronymo.*

Caſtitatis ſervandæ.

Phara ſoror Pharaonis Meldenſis Epiſcopi, cùm pater vellet eam elocare in matrimonium, fugit ad templum, & talia vota fecit: O Petre, qui juſtis regna reſeras cœleſtia, & injuſtis claudis, huc ad tua perfugi limina, tua volens eſſe virguncula. Et tu, ò Chriſte, qui ſemper precibus flecteris, remittendo humilium ſordes, ſerva virginitatem meam, oblatam tibi, per æterna ſæcula. Reverſa domum patri dixit, ſe vitam malle amittere, quàm virginitatis florem: ideòque incluſa eſt carceri, & aliquandiu ibi retenta: tandem voti compos facta, interceſſione Euſtaſii, receſſit in monaſterium Haugericum. *Vincentius lib. 23. cap. 15. 16. 17. & 18.*

Repudii.

Caſia puella à Theodoſio Imper. neglecta, ex deſperatione monachalem veſtem induit. *Vide Tit. Ambiendi modus.*

Carolus Magnus Rotrudem filiam, cùm oratores ad id in Franciam Byzantio miſſi veniſſent, Conſtantino VI. Leonis Cæſaris filio deſponderat. Res vana evaſit. Adoleſcens è domeſtica nobilitate Mariam duxit: eaque mox repudiata, atque adeò attonſa, ſacroque cœnobio clauſa, alteram Theodoram ſibi junxit. Rotrudis innupta permanſit, neque impari nubere in animum inducens, neque parem nacta. *Zonaras, & Æmilius lib. 2.*

Richardis Caroli Craſſi uxor, à marito repudiata ob familiaritatem cum Epiſcopo Vercellenſi, Adelovienſe cœnobium intravit, illudque pro XII. Canoniſſis & totidem Canonicis, liberaliter dotavit, anno DCCCCXXC. *Bruſchius de Monaſteriis, Regino lib. 2. Sigebertus, & Aventin. lib. 4.*

Comiola Toringa cœnobio ſe mancipavit. *Vide Tit. Perfidiæ in matrimonio pœna.*

Amiſſionis liberorum.

Alfreda Offæ Merciorum regis filia, Ethelberti ſponſi cæde cognita, perpetuæ virginitati ſe devovet. *Vide Tit. Regna ambitioſè ſuſcipere. ambire.*

¶ *Noverit benevolus Lector, nos in ſuperioribus pleriſque conatos ſervare ordinem, & exempla ante in Theatro poſita, addidiſſe tamen nonnulla ex iis, quæ ſe offerebant, & propoſito ſufficere videbantur: cùm alias longè plura, immò abſque numero inſeri potuiſſent.*

* VARII VOCATIONUM MODI AD RELIGIONEM capeſſendam.

Laurentius Juſtinianus Patriarcha, cùm annum ageret undeviceſimum, qui ætatis flexus lubricus eſſe ſolet, ac periculoſus, apparuiſſe ei dicitur Dominus Jeſus, virginis ſpecie, cujus ſplendor ſolis ſplendorem facilè ſuperaret, vultuque placidiſſimo hæc ei dixiſſe: Cur adoleſcens cor tuum effundis, & pacem ſectando, teipſum per multa ſpargis? Quod quæris penes me eſt. Ego, ſi me ſponſam accipere decreveris, pacem hanc certiſſimè polliceor. Ille & tanta pulchritudine, & tam magnifico promiſſo delectatus, quæſivit, quod ei nomen, quod genus eſſet. Tum illa, Ego ſum Dei ſapientia, quæ ad homines reformandos humanam formam indui. Quare cùm Laurentius ſe eam libentiſſimè accipere reſpondiſſet; illa dato oſculo, læta, & gaudens, ut videbatur, abſceſſit. Ille verò non multo pòſt in monaſterium ad oblatas nuptias ſe contulit. In quibus abundè expertus eſt non modò nihil ſe perdidiſſe, ſed multò plura ac meliora, quàm in ſæculo haberet, acquiſiviſſe. *Hieron. Platus de ſtat. Relig. lib. 3. cap. 38.*

Cum S. Franciſcus adhuc ſecularis aliquando pauperi cuidam ſuas veſtes Dei amore donaſſet, proxima nocte in quiete viſum ſibi eſt, duci in ſe amplum palatium, in quo ampliſſima item eſſet aula omni armorum genere referta, ipſa autem arma Chriſti cruce omnia inſignita. Quærenti autem cujuſnam illa eſſent, audivit reſponſum, ipſius eſſe omnia, ejuſque militum. Igitur & ſomno experrectus, cùm, ut adhuc ſpiritualium rerum rudis, nocturnum viſum de temporali militia interpretatus, principatum ſibi in eo genere, magnamque gloriam portendi crediidiſſet, iter ingreſſus eſt ſtatim ad quendam Appuliæ Comitem, cujus præſidio aditum ſibi ad eam fortunam paraturus videbatur. In quo itinere iterùm Dominus eidem dormienti; Franciſce, inquit, uter tibi melius facere poteſt, dominus an ſervus, dives an pauper? Cùm Franciſcus, quod erat, reſpondiſſet: Cur ergo, ait, pro ſervo dominum relinquis, & pro paupere homine divitem Deum? Tum ille? Quid me igitur facere jubes? Redi, inquit, in patriam tuam; quod enim vidiſti, nihil temporale indicat, nec humana, ſed divina ope in te complendum eſt. *D. Bonavent. in vita cap. 1.*

Bononiæ in primis ferè Dominicani Ordinis initiis, vir magnus, clarusque doctrina, cæleſtium bonorum amplitudine ad vitam religioſam illectus eſt. Cùm enim Reginaldus, unus ex præcipuis illius familiæ, magno hominum concurſu, & approbatione verbum Dei prædicaret, Monetus (ſic enim is appellabatur) de induſtria illius congreſſum, & ſermonem fugere conſueverat, multum ſibi ab eo metuens; tamen in Stephani martyris natali, ad ejus concionem comitum importunitate tractus, primis ſtatim verbis captus eſt, cùm illam vocem exponeret: *Ecce video cælos apertos.* Ita enim diſſerebat: nunc quidem cæli portas ad beatitudinem patere, ita ut quivis ingredi poſſit; qui autem negligentes eſſent, & qui Deo cor ſuum clauderent, iis viciſſim cœlos claudi, ut deinde intrare non poſſint. Nec pluribus opus fuit, ſtatim enim corde immutato, qui ad horam tam alienus fuerat à religione, religionis voluntatem concepit. Finita concione Reginaldum adiit, animum expoſuit, cumque voti etiam vinculo adjuncto confirmavit. *Antonius Senenſis in Chronico.*

Similem mutationem factam legimus in vita S. Nicolai Tolentinatis. Cùm enim Auguſtinianus quidam in publica platea concionem aliquando haberet ſuper illa Joannis ſententia: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt; tranſit enim mundus, & concupiſcentia ejus;* multiſque verbis, & magno fervore, de mundi vanitate, & periculo diſſereret; adoleſcentis Nicolai Tolentinatis animum ita penetravit, inflammavitque, ut mox à concione Fratrem illum adiret, ſummis precibus in eandem vitæ ſocietatem admitti poſtulans. Cujus petitioni, explorata tamen priùs parentum voluntate, ſatis benignè factum fuit. *Surius die 10. Septemb.*

Amirabilis quoque converſio eſt illa de Andrea inter viros illuſtres Ciſtercienſis ordinis relato. Is enim cùm eſſet Virdumenſis Archidiaconus, inſuper etiam nobiliſſimus, & ditiſſimus, Claravallem venit, ut naſcentis illius domus pietatem, de qua multa audierat, præſens inſpiceret,

nihil adhuc minus cogitans, quàm de eo vitæ genere ſuſcipiendo. Sed capitulum ingreſſus, quò omnes convenerant, ut ſe eorum precibus commendaret, videns ſanctæ illius multitudinis ordinem, quietem, & velut angelicum habitum, commotus eſt vehementer, & inſiliente in eum ſpiritu Domini, mutatus eſt in virum alterum. Denique tantus eum fervor cepit, ut ne ad tempus quidem domum ſibi repetendam putarit, vel ad ſuos ſalutandos, vel ad ſua ordinanda, ſed illicò ruptis moris, omnia reliquerit, ut Chriſto citius adhæreret. *H. Platus, lib.3. cap.38.*

Huic conſonum eſt illud Jordani, qui proximè poſt B. Dominicum Generalis Magiſter fuit ordinis Prædicatorum, magna vir ſanctitate, atque etiam, ut accepimus, auctoritate. Hic enim, cùm novitium quendam ſpectantibus aliquot ejus ſociis, a religioſum habitum admiſiſſet, & deinde multa verba de religionis felicitate feciſſet: ad extremum eos uberiùs lacrymantes aſpiciens, ita ad illos ſermonem convertit: non debere eos flere ex amici diſceſſu, ſed potiùs ex invidia, quòd ille quidem multo meliorem partem, quàm ipſi, eligeret. Religioſos enim Deo ſervire tanquam cubicularios principis, qui ab ipſo intimè, ac familiariſſimè adhibentur; ſeculares autem, ſi modò Deo famulantur, ita famulari, ut qui in coquina, aut aliis ejuſmodi ignobilibus miniſteriis. Itaque utilius, ac ſalubrius iis etiam ipſi fore, ſi oculos aperirent, & cogitarent, ſibi quoque januam patere, ſi ingredi velint, & ad tanti Regis menſam aſſidere. Nec ſurdis auribus dictum: unus enim eorum ſtatim, ne domo quidem reviſa, alii paulo pòſt omnes in eundem ſalutis portum ſe receperunt. *Idem lib.1. cap.ult.*

Theodorus ille magni Pachomii alumnus, qui generoſa admodum familia, à copioſis ortus parentibus, ipſo ætatis anno quarto & decimo, cùm feſtiva quædam celebritas in ejus domo ageretur, inter illa ipſa gaudia reputare ſecum cœpit opes, commoditates, delicias, in quibus natus, & ad eam diem nutritus fuerat, atque in ea cogitatione ſic ſecum ipſe divino inſtinctu loqui: Miſerum me, quid mihi hæc brevia, & fugacia proderunt, ſi priver æternis, quando hæc Dei Lex eſt, ut nemo utraque conſequi poſſit; Itaque ſuſpirans, ac de ſua ſalute ſollicitus, recepit ſe à turba, & ſtrepitu in interiorem ædium partem, ubi humi fuſus multis cùm lacrymis Deũ oravit, ut doceret ſe facere ipſius voluntatem. Ab eo igitur die omnibus carnis commodis renunciavit, monachi jam vitam in paterno palatio agens, nec multo pòſt ad ſacram Pachomii familiam ſe contulit, in qua brevi ad tantam pervenit ſanctitatem, quantam hæc ipſa tam præclara initia oſtendebant. *Idem ibidem cap.* 10.

In Dominicanorum hiſtoriis legimus, virum nobilem, & copioſum Rolandum nomine, cùm feſtum diem totum ſolemnibus epulis, luſibus, & choreis, & reliqua ejus generis vanitate conſumpſiſſet, ipſe inſuper novis veſtibus ornatus, ſplendidis, ac ſumptuoſis, tandem veſperè ad ſe reverſum ita cogitaſſe: Hem, ubi nunc feſtum quod egimus, ubi tota hujus diei lætitia, quæ jam abiit? Itaque perpendens ſecum, ut dies ille tranſierat; ſic tranſituram vitam cum ſua felicitate, nihilque permanſurum, præter pœnitentiam & dolorem, poſtero die religionem ingreſſus eſt, in qua deinceps multis annis Domino militavit, clarus tum ſanctitate, tum etiam doctrina. *Idem lib.3. cap. ult.*

In eodem quoque ordine, ac eodem ferè tempore, illuſtris fuit, omni item ſanctitatis, & doctrinæ laude Petrus Conſalvus cujus converſioni cauſam dedit res in ſpeciem levis, ſed quæ mundi vanitatem ei planè oſtendit: Nam cùm Epiſcopo Valentino nepos eſſet, & ab eo opima beneficia adoleſcentulus adhuc ante legitimam ætatem conſequutus eſſet, quibus ille ad delicias, & inanem faſtum fruebatur, ita contigit, ut quadam die dum equo ſuperbè vectus per totam urbem cum coæqualibus ſpaciaretur totus vanitati mundi expoſitus, hic, illic laſciviens, in profundum lutum cecidit, ex quo cœnoſus extractus cùm à puerorum grege circunſtante, totoque mundo ſannis, & riſibus exciperetur procaciter, rubore perfuſus, ſibique iratus, ita ſecum locutus eſt: Quandoquidem, ò munde, ſic à te, cui tam graviter ſervivi, tractor, ego quoque viciſſim te, ut mereris, tractabo. Itaque eodem momento conſtituit ſe Deo famulaturum, quod paulò poſt, cum magna civium admiratione aggreſſus eſt, in familia Dominicanorum. *Idem ibidem.*

Sanctum Romualdum ordinis Camaldulenſis auctorem caſus alius ad religionem quoque impulit. Huic pater erat Sergius nomine, homo ſæcularibus negotiis totus implicatus, qui propter rerum terrenarum poſſeſſionem, exorta cum propinquo quodam ſuo contentione, turpiter ſe homicidii crimine contaminaverat; ac filium etiam Romualdum ad ejuſdem ſceleris conſenſum vehementer allexerat. At Romualdus, quamquam tota mente immanè illud facinus deteſtatus fuiſſet, tamen quia corpore præſens fuerat, tantum ex admiſſo patris peccato dolorem concepit, ut ad Claſſenſe monaſterium beati Apollinaris, homicidarum inſtar, quadraginta dierum luctu ſcelus expiaturus, ſe receperit. Ubi cùm ſe totum ex animo pœnitentiæ laboribus daret, mens ejus continuis fletibus emollita, ſuave Chriſti jugum appetere cœpit. Nec multo pòſt monachorum pedibus provolutus, precibus, & lacrymis habitum monaſticum extorſit, totoque triennio admirabili vitæ auſteritate rebelles animi motus compeſcuit, unàque ſecum laxioris diſciplinæ fratres ad arduam perfectionis ſemitam cùm verbo, tum exemplo impellere conatus eſt. *P. Damianus in vita. H. Platus lib.3. cap.36.*

Memorabile eſt illud, quo Franciſcus Borgia, alter Societatis noſtræ Præpoſitus generalis, ad hanc vitæ perfectionem permotus eſt: Nam cùm eſſet Gandiæ Dux, magnaque apud omnes auctoritate, ita contigit, ut Iſabellæ, quæ Caroli V. Imp. uxor fuerat, nuper mortuę corpus Granatæ ſepeliendum honoris gratia comitaretur. Quare cùm neceſſitas incidiſſet: ut aperta capſa cadaver inſpiceretur, iſque ſcaturientibus vermibus putridum, & corroſum aſpexiſſet, illicò hæc ejus animum ſubiit cogitatio, quò tandem veniſſet illa tantæ fœminæ potentia & gloria, cujus paulò antè viventis, vel ipſi nutus terrori fuerant, quamque nulla ſit in morte, & poſt mortem differentia inter Principem, & pauperem. Itaque illa humanæ fragilitatis cogitatio tantùm valuit in ipſo, ut ad principatum deponendum, & religioſam humilitatem amplectendam eum adegerit. *Idem ibid. ex P. Ribaden.*

Recentius eſt & illud, noſtrique temporis. Joannes Nunnus Hiſpanus nobilis, ex Guſmanorum familia, à qua & D. Dominicus oriundus, id eſt, qui primus Patriarcha in Indiam deſtinatus à Pontifice Maximo, multis confectus laboribus, magnam ſuæ virtutis, veræque ſanctitatis opinionem poſteris reliquit. Cùm ergo juvenis anxius de vitæ genere, deliberans; integro anno à B. Virgine poſtulaſſet, ſibi à Deo certam vivendi viam, ac rationem indicari, quam ſecurè tenere, ſequique poſſet, apparuit dormienti Dei Mater, auguſta ſpecie, comitata duobus Societatis Patribus, nempe Petro Fabro, uno ex primis decem, & Franciſco Strada: is eſt, qui mortuo Baccalaureo Hoſio, B. Ignatio è monte Caſſino redeunti occurrit, à quo in locum Hoſii in Societatem ſuffectus eſt. Inſiſtenti ergo coram Nunno ardentiùs pro certo vitæ curſu cœlitus deſignando, intulit cœli Regina. Vis ſervire filio meo uſque ad defatigationem? Cui Nunnus: Omninò, Domina. Sequere ergo, ait illa, hos viros. Oſtendit verò illi comites ſuos, Patres Fabrum, & Strada, ac diſparuit. Nunnus verò ſuſpicatus eſt ex habitu viros illos eſſe Societatis Jeſu, ſed ſibi prorſus ignotos? nec Domina indicavit, quo eos loco inveniret. Quare partim anxius, partim lætus cœleſti viſitatione, reliquum ſuæ patronæ Virgini Matri commendavit. Contigit verò ut iter facienti duo Societatis Patres temerè occurrerent, viſoque habitu eos aggreſſus eſt: cumque de admiſſione mentionem intuliſſet, tum Pater Faber: Vis, inquit, ſervire Chriſto uſque ad defatigationem? Qua interrogatione perculſus, venit in mentem verborum Virginis Matris, quæ eiſdem verbis uſa fuerat: Vis ſervire filio meo uſque ad defatigationem? Ille, velut certam vocationis ſuę teſſeram reputans, oculos in vultum utriuſque defixit, & eos agnoſcens, procidit eis ad pedes, obteſtans ut ſe ad Societatem admitterent: narrataque totius vocationis ſerie, admiſſus eſt ſumma ſua, & Patrum conſolatione. *P. Maffæus in vita Eg. l.2. c.6.*

* INFANTES AB UTERO MATRIS, ET AB INEUNTE ÆTATE RELIGIONI Conſecrati.

Andreas Corſinus Florentiæ ex Corſinorum nobili familia natus fuit, patre Nicolao, matre verò Peregrina. Cùm jam tempus pariendi immineret, in ſomnis Peregrina ſibi viſa eſt lupum peperiſſe pro homine, qui cùm Eccleſiam intraſſet, in agnum ſe vertit. His cùm nihil antiquius ſancta religione eſſet, primogenitum ſuum perpetuo D. Virginis ſervitio conſecrare voluerunt: Longo enim ſterilitatis opprobrio laborantes, ſingulari Virginis beneficio Andream hunc conceperunt. Puer educatus ingenuè creſcit, & ſtudiis litterarum traditur.

traditur. Adoleſcens factus, canes alere, equos mercari, ſodalitates parare, tractare arma, lites gerere cœpit, & ad hæc omnia divina, & humana pariter habere, parentibus non ſolùm inobediens, ſed nec eos ſe caſtigantes perferre poterat, immò ab eorum conſpectu improbè diſcedebat. Id mater iniquo animo ferens, cum ſic alloquitur: Tu profectò, inquit, lupus es, quem in ſomnis viſa ſum peperiſſe. Quibus verbis perterritus adoleſcens, retro ferens pedem matrem oravit, ut quid ſibi vellent ea verba, ſignificaret. Tunc mater, inquit; Audi, fili mi, verba mea, neque matris tuæ dicta contemnas: Ego unà cum genitore tuo ſterilis annos plurimos vixi, tantuſque ſobolis amor fuit, ut etiam pro habendis filiis vota ſuſceperim. Itaque primitias uteri mei Deo, Mariæque matri ejus offerenda conſtantiſſimè vovi. Hoc idem pater tuus communi voto promiſit. Factum eſt, ut Mariæ precibus conciperem, & cùm jam pariendi tempus aderat, in ſomnis viſa ſum lupum parere, qui cùm ingreſſus eſſet Eccleſiam, lupi formam deferens, agnus effectus eſt: proſtridie vero te peperi, qualis ſuperiorem ætatem vixeris, non te latet: non enim ut homo ratione utens, ſed ut rapaciſſimus lupus; nunc jam tempus expoſcit, ut in agnum te vertas, & quæ pro te vota ſuſcepimus, velis pia mente perficere: nam non nobis, ſed Mariæ Virgini natus es. Expergiſcere igitur, fili mi, nec velis longiùs per ſocordiam, atque multos mores vitam inficere. Poſtquam mater loquendi finem fecit, Andreas hujuſmodi oratione perculſus, ſuperiorem vitam ſuam tacitus conſiderans, pœnitentia motus, multis lacrymis Virginem precabatur, ut pro ſe ad filium preces fundere dignaretur, ne juventutis ſuæ delicta reſpiceret. Poſtridie, itaque manè ad Carmelitarum Eccleſiam profectus eſt, ibique orando diu ante aram Virginis glorioſæ, lacrymis faciem irrigavit, rogitans ut ſe lupum in agnum converteret. Tandem ab oratione ſurgens, Hieronymum Melioratum, qui ea tempeſtate, videlicet anno ab incarnatione Domini milleſimo trecenteſimo decimo, Tuſciæ Provinciæ curam gerebat, proſtratus oravit, ut eum intra religionem ſuſciperet. Cujus deſiderio poſt multa ſuſpiria ſatisfactum fuit. Is poſteà factus Epiſcopus Feſulanus. *Surius Tom. 1. 6. Januar.*

Bonaventura Balneoregii in Etruria natus, cùm infans incidiſſet in vitæ periculum, mater ejus vovit, ſi inde evaſiſſet, ſe eum religioni beati Franciſci dicaturam. Itaque adoleſcens in ordinem Fratrum Minorum adſcribi voluit. *Breviar. Rom.* 13. *Julii.*

Non eſt hoc loco prætermittenda Aſellæ virginis memoria, quam *D. Hieronymus* ſcribit in matris utero fuiſſe benedictam, antequam naſceretur, & in phiala nitentis vitri, & omni ſpeculo purioris, patri traditam per quietem, & adhuc infantiæ pannis involutam, vixque decimum ætatis annum excedentem honore futuræ beatitudinis conſecratam. Hæc poſt duodecimum ætatis annum hunc vivendi modum elegit, arripuit, tenuit, cœpit, implevit. Unius cellulæ clauſa anguſtiis latitudine paradiſi fruebatur. Idem terræ ſolum, & orationis locus extitit, & quietis. Jejunium pro ludo habuit, inediam pro refectione. Cùm autem hoc propoſitum arriperet, aurum colli ſui, quod quidem murænulam vulgus vocat, quod ſcilicet metallo in virgulas lenteſcente quadam ordinis flexuoſi catena contexitur, abſque parentibus vendidit, & tunicam fuſciorem, quam à matre impetrare non poterat, induta, pio negotiationis auſpicio ſe repentè Domino conſecravit. Ubi moderatè ſemper ita ſe habuit, & intra cubilis ſui ſecreta cuſtodivit, ut nunquam pedem proferret in publicum, nunquam viri noſſet alloquium. Et quod magis mirandum, ſororem virginem magis amaret, quàm videret. *D. Hier. Ep. ad Marcell.*

* VOCATIONI AD RELIGIONEM OBTEMPERANDUM.

Eſt in hoc genere terribile admodum exemplum, quod *D. Bernardus in epiſt. ad Thomam Audomarenſem* commemorat, qui ob litterarum ſtudia religionis ingreſſum differebat. Ad quem deterrendum alterius in ſimili cauſa ſupplicium proponit. Heu, heu, inquit, Videris mihi uno ſpiritu ambulare, ſicut & uno cenſeris nomine cum altero illo Thoma olim ſcilicet Præpoſito de Beverle, qui cùm ſe ſimiliter noſtro ordini, & noſtræ domui toto deſiderio devoviſſet, cœpit induciari, & ita paulatim refrigeſcere, donec ſubita, & horrenda morte perceptus factus de medio eſt ſæcularis, & prævaricator, & duplo filius gehennæ. Quod ab eo, ſi fieri poteſt, avertat miſericors, & miſerator Dominus *Epiſt.* 108. *D. Bernard.*

Gravem neglecti in religionem ingreſſus pœnam oſtendit, etiam hoc exemplo *D. Antoninus in Chronico*: Cùm quidam aliquando Franciſcani ordinis religionem ingredi voviſſet, poſteà verò mutato conſilio factus eſſet Canonicus ſæcularis, poſt paucos menſes incidit in lethalem morbum: quam ob cauſam admonitus à ſuis de anima per confeſſionem expianda, reſpondit; nihil eſſe opus, quod oſtenſum ſibi eſſet, ſe eſſe damnatum, quare ne amplius ſibi moleſti eſſent, quia non poſſet confiteri: apparuit enim mihi, inquit, Dominus iratus, dicens. Vocavi, & renuiſti, ideò vade ad pœnas inferni. Quo dicto expiravit. *D. Antonio 3. p. Chronici c.9. §.7.*

Simile eſt huic, quod *epiſt. ad Pandulphum Clericum narrat Petrus Damianus*, eum monens ut votum religionis adimpleat. Dicam, inquit ille, quod ſuper non diſſimili nuper apud nos contigiſſe cognoſcitur. Ut quidam Arduinus nomine, famoſæ prudentiæ, genere clarus, divitiis opulentus, certa mihi devotione ſpoponderat, quod ſi antè non poſſet, ſaltem expleto decennio ad monaſterium B. Vincentii (quod videlicet in Urbinati conſtitutum eſt territorio) monaſticum ſuſcepturus habitum declinaret. Tandem termino condictæ pactionis exacto, cùm ego huic aſſiduus exactor inſiſterem, ille inde cedendo, blandiendo, verbis quidem bonum omne promitteret, ipſius autem converſionis effectum quibuſdam tergiverſationibus protelaret, Rector quoque jam dicti monaſterii illius favebat votis, diſſuadebatque converti, cujus nimirum perneceſſariis ſuſtentabantur auxiliis. Intereà languore corporis irruente decubuit, peccata confeſſus judicio Sacerdotis abſolvitur, pauperibus, & Eccleſiis multa largitur, in tantum, ut cunctis quaſi benè compoſitis, aſſiſtentes ſibi cognatos, & affines ſub hac obteſtatione conſtringeret: Obſecro, inquit, per charitatem, quæ Deus eſt, nemo me reddi huic mortali vitæ depoſcat, ne quod abſit, imparatum poſtmodum mors improviſa reperiat. Aliquanto autem poſt ejus obitum tempore prædicto Abbati vir ille per viſum nocturnæ quietis apparuit. Videbatur autem quod in ſpatioſa quadam campi planicie, Imperator [ſi rectè teneo] vel quælibet excelſa poteſtas cum totius regni Primoribus, & copioſo moraretur exercitu. Cùmque ille ſtupefactus, huc, illucque oculos diduceret; ecce Arduinus à quibuſdam tanquam cuſtodibus celeriter ducebatur: Heus, inquit, ſiſte gradum; fige pedem, quieſce paulìſper; mihi non loqueris, Arduine? Age, frater, quod tibi eſt? Lætaris, an pateris? Adeſt pœna, vel gloria? Cur triſtis ac flebilis? Cur, ait, de gloria me conſulis, qui jugibus pœnis afficior, & ne ad momentum quidem reſpirare permittor? Ad quem Abbas; Quid tibi, inquit, beatus Vincentius? Nunc tibi nunc in neceſſitate non ſuccurrit, qui ad collaborandum ſuæ domus adminiſtratoribus tam ſedulo decertaſti? Cui mox ille ſubjungit; Sanctus, ait, Vincentius diù me ſuum fecit ſperare colloquium; ſed quia dudum fatigatus hoc obtinere non merui, ſpem hanc omninò jam fruſtratus amiſi. Ubi ſolerter attendendum, quàm recta linea divinæ juſtitiæ, immò quàm artifex apud Deum menſura vindictæ: Ille ſiquidem dum adhuc viveret, convertendum ſe in monaſterio beati martyris & promittebat, & differebat, nunc autem ad ejuſdem martyris venire colloquium, & quaſi ex promiſſione ſperabat, & tamen nullatenus impetrabat. Dignumque fuit, ut Abbas potiſſimum hanc cerneret viſionem, qui ne converterentur, illis obſtiterat. *Tom. 1. Biblioth. SS. Patrum.*

At felicius multo contigit ſcholaſtico cuidam Pariſienſi, qui circiter annum Dom. M. CCCL. cum Franciſcanorum ordinem ingredi decreviſſet, atque ob hanc cauſam ſacrum etiam habitum ſibi jam curaſſet, poſteà tamen mutato conſilio, ad alia ſe convertit. Inter quæ nocte quadam viſum eſt ſibi ſiſti judicem Jeſum in regio throno cum majeſtate conſidentem: ad quem conſcientia perculſus clamare cœpit: Miſerere, Domine. Cui Dominus, Miſerebor, inquit, ſed ita, ſi cogitata perfeceris. Cùm ille libentiſſimè recepiſſet, à dæmone tamen in lebetem oleo, & pice ferventem conjectus eſt, in quo videbatur tantis torqueri cruciatibus, ac ſi doloris magnitudine oſſa à carne diſtraherentur, in qua anguſtia expergefactus, nulla interpoſita mora, & quidem cupidè, ad religioſam vitam ſe convertit. *H. Platus l. 3. de bon. ſtatus relig. c.38.*

Felicior quoque alterius in ſimili periculo exitus, qui cùm adhuc Juvenis Ciſtercienſe inſtitutum ſequi decreviſſet (neque ſe tamen voto obligarat) dum de die in diem differt, cœpit intepeſcere. Quare cùm ex Compoſtellana peregrinatione domum

domum rediiſſet, eadem ipſa nocte apparuit illi Chriſtus Dominus cum duobus Apoſtolis, Petro, & Jacobo. Petrus autem pulcherrimum librum tenebat coram Domino apertum, in quo adoleſcentis nomen, Joannes, deſcriptum erat. Tum Dominus ad S. Petrum: Dele, ait, illum de libro meo. Jacobus verò ſupplicare ei cœpit pro ſuo, ut appellabat, peregrino, inſuper etiam illius emendationem promittere. At Joannes hoc de ſe agi videns, pavebat, & tremebat, novamque vitam in futurum pollicebatur. Dominus autem quaſi illius inconſtantiæ minus credens, fidejuſſorem illius voluntatis poſtulavit, ſtatim ſe obtulit S. Jacobus. Inter quæ cùm juvenis excitatus eſſet, ſecumque hæc admirans rurſum obdormiiſſet, iterùm eſt illi eadem objecta ſpecies, idque amplius, quod in libro illo apparuit ejuſmodi inſcriptio ex Canticis: Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Ille igitur & hoc jucundo promiſſo invitatus, & illis minis exterritus, nulla mora interpoſita Ciſtercium ſe contulit, ubi magnis in virtute progreſſibus factis, primùm Abbas Bonævallis, deinde etiam Valentiæ Epiſcopus factus eſt. *Idem ibidem.*

Humbertus vir clariſſimus, Generaliſque Magiſter fratrum Prædicatorum narrare ſolebat, religioſum quendam vita functum apparuiſſe aliquandò de nocte fratri, ſocioque ſuo, magno ſplendore collucentem, cùmque eum ex cella eduxiſſet, oſtendiſſe magnam numerum hominum candida veſte, mirabilique luce micantium, qui pulcherrimas cruces humeris deferebant. Erat autem omnium iter in cœlum. Poſteà modico intervallo alius ſequebatur ordo, iſque multo pulchrior, multòque lucidior, quorum unuſquiſque ornatiſſimam crucem, non jam humeris, ſed manibus geſtaret. Deinde tertius ordo omnium longè ſplendidiſſimus, & ſpecioſiſſimus, quorum item cruces forma, & pulchritudine reliquorum cruces ſuperabant, neque eas ipſi portabant, ſed ſuus, qui ſingulos præibat, angelus, ut ii alacres, & ludibundi ſequerentur. Quod ſpectaculum cùm ille miraretur, expoſuit ei ſocius, primos illos eſſe, qui provecta jam ætate religioſam vitam amplexi fuiſſent; ſecundos; qui in virili; poſtremos autem, quos adeò expeditos, hilareſque vidiſſet, eos eſſe, qui in adoleſcentia. *Idem ibidem c.33.*

* NON ESSE LICITUM DETERRERE, AUT AVOCARE A RELIGIONE.

Item

☞ *Deterrentium, aut avertentium à Religione ſuſcipienda, pœnæ.*

Beatissimus Portianus ab ineunte ætate Deum quærere cœli ſemper, etiam inter ſervitia terrena, conabatur. Hic enim ſervus fertur fuiſſe cujuſdam barbari: is cùm plerumque ad monaſterium confugeret, ut eum domino ſuos Abbas redderet excuſatum, ad extremum fugientem aliquando dominus eum de veſtigio ſequitur, & Abbatem calumniari cœpit, imputans quòd ipſe eum ſeduceret, ne ſibi ſuus famulus deſerviret. Cùmque de conſuetudine, ut eum redderet, calumniando Abbatem, inſiſteret, dicit Abbas Portiano, Quid vis ut faciam? Et ille, Redde, inquit, me excuſatum. Cùmque excuſatus redditus fuiſſet, & dominus ejus reducere eum domum vellet, ita cæcatus eſt, ut nihil penitus poſſet cognoſcere. Cernens autem dominus ſe gravibus doloribus affici, Abbatem vocat, dicens: Supplica, quæſo, pro me Domino, & accipe hunc ſervum ad ejus cultum, forſitan promerebor recipere lumen amiſſum. Tunc Abbas vocato beato, ait: Impone, quæſo, manus tuas ſuper oculos ejus. Cùmque ille refutaret, tandem Abbatis devictus precibus, ſuper oculos Domini ſui ſignum beatæ crucis impoſuit; ſtatimque diſrupta caligine, & ſedato dolore, priſtinæ reſtitutus eſt ſanitati. At verò exin beatus Portianus clericus factus, tanto virtutis cumulo eſt prælatus, ut decedente Abbate, ipſe ſuccederet. *Greg. Turonen. c.5. vit. Patrum.*

D. Ambroſius Archiepiſc. Mediolanenſis, puellam commemorat adhuc viventem, cùm ipſe hoc ſcriberet, nobilem, ut idem ait, ſeculo, multò nobiliorem Deo, quæ cum religioſæ vitæ amore ad altare confugiſſet, inſtarentque propinqui, & ſponſum offerendo, & divitiarum commoda proponendo, illa ſemper conſtans, & invicta perſtiterat. Ac cum Unus præfractiùs urgens, dixiſſet: Quid? ſi pater tuus viveret, an te innuptam vivere pateretur? Reſpondit illa? Et ideò fortaſſe mortuus eſt, ne impedire poſſet. Neque verò multum temporis interceſſit, cùm hic, qui ita inſtabat, morte ſublatus eſt. Et ita perſuaſum eſt omnibus, ob eam cauſam eſſe ſublatum, ut cæteri, qui anteà tantopere repugnabant, metuere cœperint, *S. Ambroſ. l.1. de Virginib.*

Affine eſt, ſed illo recentius, quod accidit in Provincia Mediolanenſi anno Domini 1585. Gallus adoleſcens tum genere nobilis, tum apud Regem gratioſus è domo domeſtica pugna non ignobilem victoriam reportavit; nam cùm propinqui ſtatim advolaſſent è Gallia, ut adoleſcentis mentem vel minis averterent, vel blanditiis, factaque iis poteſtas eſſet, ut adoleſcentem, ſi ſequi vellet, abducerent, is ſua firmitate eos ita debilitavit, ac fregit, ut ii re penitus deſperata ſatius ducerent inanes redire domum, quàm diuturna, atque inutili pugna ſuum dedecus augere. Deſperationem auxit adoleſcentis epiſtola ad amicum, quem ardenti cohortatione in ſuſcepta Societatis ſententia confirmabat; quam illi epiſtolam cum reſignaſſent, exploraſſentque quàm fruſtra in ejus commovenda conſtantia deſudarent, qui ad idipſum cæteros inflammaret, ad extremum dedere manus, tametſi improba eorum voluntas impunita non fuit; quippe ex iis Unus præ cæteris inſolentior vix domum rediit, cùm repentino jugulatus eſt morbo: nec ita multò poſt frater in lacu periit, ut doceretur imprudens pater, ſuos ei filios non gravatè concedere, cujus ſceptro, atque imperio liberorum vitæ, atque mortes obtemperant. *D. Auroultius in Catechiſ. hiſt. t.4.*

Raimundus Catalanus tertius ordinis Prædicatorum Magiſter, hanc ob cauſam togam induit religionis. Fortè diſſuaſerat cuidam ſcholaſtico adoleſcenti plurimis rationibus ſanctæ converſationis ingreſſum. Quapropter deinde conſcientia exagitatus, quod illi diſſuaſerat, amplexus eſt, relictis videlicet mundi illecebris favore, & gloria, cùm omnium admiratione ordinem Prædicatorum ingreſſus eſt. *Leander Albertus apud Surium 6. Januarii.*

Pariſiis cùm inſignis quidam ſacræ Theologiæ doctor Franciſcanæ familiæ ſeſe addixiſſet, mater ejus, quæ inopia haud mediocri premebatur, ad alia beneficia addebat, quod litterarum illius otium ſuarum manuum laboribus ſuſtentaſſet, multis lacrymis, & clamoribus ſuam orbitatem, ac paupertatem deplorans, ac tum filium, tum illius ordinis patres omnes tanquam inhumanos, atque injuſtos etiam accuſans. Quibus ille commotus cùm jam propoſito nutaret, & ante Crucifixi imaginem oraret, quaſi veniam ab eo petens diſcedendi, ad matrem ſublevandam, vidit è Chriſti latere perfoſſo manantem cruorem, ſimulque hanc vocem audivit: Ego te cariùs nutrivi, quàm mater tua; iſto enim ſanguine te redemi; quare non me deſerere debes propter matrem tuam. Quo ille & ſtupefactus, & ita roboratus eſt, ut deinceps maternas omnes, vel blanditias, vel querelas facilè contempſerit, & non immeritò Chriſtum matri præferens in eo ordine dies ſuos compleverit. *D. Antoninus 3. p. Chronici, tit. 24. c.9. §.7.*

Demetrias virgo ſponſo jam oppignorata, egregium Chriſtianæ pudicitiæ ſpecimen edere cupiens, noctibus, & ſecretò, conſciis tantùm virginibus Dei, quæ in matris, & aviæ comitatu erant, nunquam ea linteaminum, nunquam plurimum uſa eſt mollitie, ſed ciliciolum in nuda humo habuiſſe pro ſtratu, jugibus faciem rigaſſe lacrymis, Salvatoris mente genibus advoluta, dicitur, ut ſuum reciperet propoſitum, ut impleret deſiderium, ut probæ aviæ animum, matriſque Julianæ emolliret: Cùm jam nuptiarum appropinquaret dies, & futuro matrimonio thalamus pararetur, ſecretò, & abſque arbitris, noctemque habens pro ſolatio, talibus ſe fertur armaſſe conſiliis: Quid agis, Demetrias? cur pudicitiam tanto pavore defendis? libertate opus, & audacia. Quæ ſi in pace metuis, quid faceres in martyrio perpetiendo? Quæ tuorum vultum ferre non potes, quomodo ſuſtineres tribunalia perſecutorum? Si te virorum exempla non provocant, hortetur, faciatque ſecuram beata martyr Agnes, quæ & ætatem vicit, & tyrannum, & titulum caſtitatis martyrio conſecravit. Neſcis, miſera, neſcis, cui virginitatem tuam debeas? Dudum inter barbaras tremuiſti manus, aviæ, matriſque ſinu, & pallis tegebaris: vidiſti te captivam, & pudicitiam tuam non tuæ poteſtatis: horruiſti truces hoſtium vultus, raptas virgines Dei gemitu tacito conſpexiſti. Urbs tua, quondam Orbis caput, Romani populi ſepulchrum eſt; & tu in Lybico littore exulem virum exul ipſa accipies? &c. Rumpe moras omnes, perfecta Dei dilectio foras mittit timorem. Aſſume ſcutum fidei, loricam juſtitiæ, galeam ſalutis, procede ad prælium. Habet & pudicitia ſervata martyrium ſuum. Quid metuis aviam? quid formidas parentem? forſitan & ipſæ velint, quod te velle non credunt. His, & aliis complutibus inflammata ſtimulis omnem corporis cultum, & habitum ſæcularem, quaſi propoſiti

poſiti ſui impedimenta projecit; pretioſa monilia, & graves cenſibus uniones, ardenteſque gemmæ redduntur ſcriniis: vili tunica induitur, viliori tegitur pallio, & inſperata aviæ genibus repentè provolvitur; fletu tantùm, & planctu, quæ eſſet, oſtendit. Obſtupuit ſancta, & gravis fœmina Proba avia, alienum habitum in nepte conſpiciens. Mater gaudio ſtabat attonita, utraque verum non credere, quod verum eſſe cupiebat. Hæſit vox faucibus, &c. Certatim in oſcula neptis, & filiæ, mater & avia ruunt; ubertim flere præ gaudio, jacentem manu attollere, amplexarique trepidantem, agnoſcere in illius propoſito mentem ſuam, & gratulari, quòd nobilem familiam virgo virginitate ſua nobiliorem faceret: inveniſſe eam, quòd præſtaret generi, quod Romanæ urbis cineres mitigaret. Jeſu bone, quid illud in tota domo exultationis fuit? Quaſi ex radice fœcunda multæ ſimul virgines pullularunt. Exemplum patronæ, & dominæ ſecuta eſt clientium turba, ac famularum. *D. Hieronym. epiſt. 8. Caron. to. 5. ad ann. 413.*

Inſigne quoque hujus generis exemplum eſt in vita *S. Nicetæ* confeſſoris de Athanaſio, venerando, & admirabili viro, cujus charitatem opinor etiam Angelos ipſos fuiſſe admiratos. Hic patri chariſſimus erat, & litteras apud ipſum ſummè doctus; qui & publicorum libellorum ſcriba creatus, magiſtratui, qui Logotheſion dicitur, præfectus fuit: unde non vulgares mundi hujus honores ejus pater per filium ad ſe venturos ſperabat. Cùm verò juvenis ille omnia hæc contempſiſſet, & uni rei eſſet intentus, ut cœnobii habitu ſe indueret, idque feſtinans perfeciſſet, cùm pater hoc audiviſſet, vi ad ſe illum traxit, & indumentis, quibus ex cœnobio veſtitus erat, projectis, pretioſis veſtibus illum, quamvis invitum, induit. At juvenis patrem ſic affatus eſt: Putaſne, ò pater ſericis iſtis veſtibus me à propoſito conſilio impeditum iri? Totum mundum contempſi: Quid enim proderit homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? At pater illum in domo concluſit, exiſtimans ita fieri poſſe, ut à bono propoſito ipſum averteret. Cùm autem adoleſcens opportunitatem inveniſſet, ſerica illa indumenta in quatuor partes laceravit. Quòd cùm vidiſſet pater ita crudeliter filium verberavit, ut ejus terga plagis contabuerint, & medicorum cura indiguerint. Poſteà verò patrem certiorem fecit, nullo modo fieri poſſe, ut ejus ſententia mutaretur, etiamſi membratim illum diſcerperet. Pater itaque ea re compunctus, & lacrymis perfuſus, filium ſic allocutus eſt: Vade, fili, & perfice iter illud bonum, quod elegiſti, & Chriſtus ipſe tibi opem ferat, teque ab omnibus laqueis diaboli eripiat. Atque ita adoleſcens rediit ad monaſterium, exercitationis certamina efficaciter illic ſuſcepturus. *Surius 8. Aprilis ex Theoſloriſto.*

Scripſit de eo argumento S. Thomas Aquinas Tomo 2. opuſculorum. Ubi etiam ſuam de eodem ſententiam proponit.

* RELIGIOSORUM NOSTRORUM TYPI.

Ubi & de Analogia, quæ eſt inter Nazaræos veteres, & iſtos.

Religioſi ſtatus umbram, & ſignificationem prætuliſſe, in Leges quidem naturæ Enos, qui peculiarem ritum, & ceremoniam Deum invocandi invenerat. *Geneſ. c.4.* In lege ſcripta Nazareos, qui Domino conſecrabantur: Heliam, & Helizeum, ac filios Prophetarum, qui ſine uxoribus, & poſſeſſionibus vivebant: Rechabitas, qui ſumma auſteritate, & abſtinentia vitæ ſuæ dies tranſigebant, ſupra veterum teſtimoniis, & auctoritate adſertum, ubi de Religionis antiquitate initio hujus Loci egimus.

Cæterum perfectiſſimè Religioſorum noſtrorum vitam, & converſationem præſignarunt Nazarei. Uti docet poſt *Nazianzen. Orat. in laudem S. Baſilii Gregor. l.32. moral. c.7. D. Thom. 2.2. q.186. art.6.* Sonat autem Nazaræus ſegregatum, aut coronatum, prout latiùs loco proprio de iiſdem dicitur. Religioſi ergo noſtri ſunt veri Nazaræi, id eſt, ſeparati à communi hominum vita, itemque coronati in capite quaſi Reges, & Cæſares tam cœli quàm terræ, de quibus dicitur *Thren. 4.* Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſaphyro pulchriores. In nive, & lacte ſignificatur Religioſorum caſtitas; in ebore antiquo jugis, & fortis obedientia, in ſaphyro, qui cœleſtis eſt coloris, paupertas, quæ ſpem in ſolum Deum defigit. Hinc *verſ.21.* Nazaræatus vocatur ſtatus perfectionis, & ſanctificationis, ſcilicet legis veteris: ſicuti Religio in lege nova ſtatus eſt perfectionis, non acquiſitæ (hic enim eſt Epiſcopatus) ſed acquirendæ per tria vota. Nam ut ait *Euſebius Emiſſenus*: Religioſus debet eſſe neglector quietis, fugax voluptatis, appetitor laboris, patiens abjectionis, impatiens honoris, pauper in pecunia, dives in conſcientia, humilis ad merita, ſuperbus ad vitia.

Unde planè aberrant quidam ad Religionem converſi, qui, ut ait *B. Proſper de vita contemplativa*; de priſtinis moribus nihil abiiciunt, quia ſcilicet non mutantur mente, ſed veſte; non actu, ſed habitu; non opere, ſed ſermone. In Religione enim ſæculariter vivunt, opinionem virtutis pro virtute quærunt, prædicant magna, nec faciunt; accuſant vitia, nec deponunt; publicè ſibi diſplicere ſimulant, quod occultè committunt.

Secundò. Sicut Nazaræi, ita & Religioſi, vino, omnique eo, quod mentem turbare, vel inquinare poteſt, abſtinebant. Audiam. ipſum S. Hieronymum Paulinum monachum inſtituentem: Sit vilis, & veſpertinus cibus, olera, & legumina: interdumque piſciculos pro ſummis ducas deliciis, qui Chriſtum deſiderat, & illo pane veſcitur, non quærit magnopere de quam pretioſis cibis ſtercus conficiat, *& infrà*: Nihil in te mediocre eſſe contentus ſum, totum ſummum, totum perfectum deſidero.

Tertiò. Nazaræi etiam acinis abſtinere debebant, ne videlicet ab acinis ad uvas, ab uvis ad vinum tranſirent: ita Religioſi, omnem, etiam minimam, & remotam occaſionem gulæ, & peccati præſcindere debent. Nam ut rectè ait *Gloſſa in illud Job 31.* Pepigi fœdus cum oculis meis: Viſum ſequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem conſenſus, conſenſum opus, opus conſuetudo, conſuetudinem neceſſitas, neceſſitatem deſperatio, deſperationem damnatio.

Meritò ergo Religioſos, & Religioſas monet *S. Greg. Nazianzenus orat. de fuco.* dicens: Illud velim non ignores, rugam unam tibi turpiorem eſſe, quàm maxima vulnera iis, qui in mundo vivunt, neque enim tam notabilem, ac conſpicuam in ſordidis, quàm in puris unius coloris veſtibus, labes aliqua fœditatem habet.

Quartò. Nazaræus non poterat lugere mortuum, etiam patrem, vel matrem: ita Religioſi omnes carnales affectus erga parentes truncare debent, & audire illud Chriſti. *Matth. 8. v.22.* Sequere me. Et: Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. Et illud *Pſalm. 44.* Audi, filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet rex decorem tuum.

Quintò. Nazaræus polluebatur ex ſola præſentia cadaveris: ita Religioſus ab omni peccato remotiſſimus eſſe debet.

Sextò. Nazaræi ſanctificatio maximè ſita erat in cæſarie nutrienda: hæc autem myſticè eſt ſanctarum cogitationum germinatio, quibus homo ſanctus efficitur: haſce autem fovent, & nutriunt Religioſi.

Septimò. Si contingeret Nzaaræum pollui ſuper mortuo, cæſaries ejus quaſi polluta radebatur, ut nova ſuccreſceret: ita Religioſi, ſi cogitationes, & affectus eorum aliqua peccati labe inquinentur, mox eas amputant, & alias ſanctas de novo accerſunt.

Octavò. Si pollueretur Nazaræus dies præteriti Nazaræatus irriti cenſebant, cogebaturque de novo tempus voti inchoare. Gaudet enim Deus maximè continua ſanctitate: ita Religioſus, ſi lapſus ſit in negligentiam, aut aliud peccatum, iterùm novo conatu, ac ſi nihil anteà egiſſet, viam virtutis arripere debet, ac dicere cum Pſalte, *Pſal. 76.* Dixi, nunc cœpi.

Nonò. Peracto voti tempore radebatur Nazaræus, capillique in altari holocauſti cremabantur: quo ſignificabatur, ait *S. Gregor. 2. Moral. 39.* tunc nos ad perfectionis ſummam pertingere, cùm ſic exteriora vitia ſuperamus, ut etiam cogitationes ſuperfluas à mente reſecemus, quas nimirum ſacrificii igne concremare, eſt eas flamma divini amoris incendere, ut cor totum in Dei amore ardeat, tuncque Nazaræus offerebat primò hoſtiam pro peccato, quæ ſignificat plenam peccatorum remiſſionem, quam Religioſi in ingreſſu Religionis percipiunt. Unde *à S. Hieronymo epiſt. ad Demetriadem, & à S. Bernardo l. de præc. & diſpenſ. cap.23. & aliis*, religionis ingreſſus vocatur ſecundus Baptiſmus.

Secundò, offerebat hoſtiam pacificam, quæ ſignificabat, Deum religioſorum precibus facilè placari, & annuere.

Tertiò, holocauſtum, quod ſignificabat, Religionem non eſſe